

1675.

1. Andreae, Tobias : De concoctione ciborum in ventri-
culo.
2. Resius, Jacobus Ernestus : De evictionibus.
3. Rhetius, Johannes Frid : De juramentum imperii
circa sacra.
- 4^{at} Schoeckius, Isaacus : De legibus vestiariis
2 S. exempl.
- 5^{at} Schultz, Petrus : De denunciationis criminalis.
- 6^{at} Schultz, Petrus : De polygama.
7. Stykius, Samuel : De credulitate revelatione.
8. Stykius, Samuel : De vita antea.
9. Stykius, Samuel : De hominis in se ipsum.
- 10^{at} Stykius, Samuel : De jure superflui et cantela
abundanti 2 S. exempl. 1675-1718

1675~

11^a + 6^b = Strijkias, Sauml: De transitu militum.

2 Exempl. 1690: 1745.

12^{a, b, c} = ~~1675~~ Strijkias, Sauml: De eteactera 3 Exempl. 1675,

1676: 1746

13^{a, b, c} = Strijkias, Sauml: De alapa. 2 Exempl. 1677: 1735

14^{a, b, c} = Strijkias, Sauml: De possessione instrumentali.

2 Exempl. 1675: 1700.

1735
H
P
V
M
D.

1675
M.D.C.C.
Disputatio Medica,

CONCOCTIONE
CIBORUM
VENTRICULO.

SUB PRÆSIDI

Facultatis Medicæ et Chirurgiæ
DN. TOBIÆ ANDREÆ,

Phil. & Med. Doct. hujusq. Præs. P. Ordin. Dignissimi,
Facultatis item Medicæ et Chirurgiæ
Speciæ

Publicæ Examinandæ præpositi,
FRIDERICUS BECMANUS,

FRANCOFURTI AMBROSICUS,
in Auditorio Publico Majori
D. M.D.C.C.LXXIV.

FRANCOFURTI ad ODERAM,
PUBLI FRIDERICI EICHORNII.



1675

1775-1735

1775



DISPUTATIO JURIDICA
DE

**POSSESSIONE
INSTRUMENTALI,**

Quam
S. S. TRIADE

&

Magnifico Jctorum Ordine annuentibus,

PRÆSIDE

DN. SAMUELE STRYKIO, J.U.D.

Com. Pal. Cæsar. & Antecess.

Celeberrimo,

*Domino Præceptore suo ac Promotore observantis-
simè colendo,*

Publicè ventilandam proponit

AD DIEM XXIX. MARTII ANNO M. DC. LXXV.

H. L. Q. S.

GERHARDUS SELLE,

Oldenburgensis.

Cum privilegiis.

Denuò edita MDCC.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Sumptibus JEREMIE Schreys Seel. Erben /

& JOH. CHRISTOPH. Hartmann.

Vol. II. Disp. XVIII.



DISPUTATIO JURIDICA
DE
PROCESSU
INSTRUMENTALI

IN
PROCESSU
INSTRUMENTALI
PROFESSORE
PROFESSORE
PROFESSORE

DR. SAMUEL STYKIO IUD.
DOCTORIS
DOCTORIS
DOCTORIS

DOCTORIS
DOCTORIS
DOCTORIS
DOCTORIS

GERHARDUS
GERHARDUS
GERHARDUS
GERHARDUS

GERHARDUS
GERHARDUS
GERHARDUS
GERHARDUS

LIBRARY
UNIVERSITY OF
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



* (3.) *

ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DN. ANTHONIO,
S. ROM. IMP. COMITI ALDEN-
BURGENSI, ADELINGO VARELIÆ, BARONI
IN Kniephausen / ILLUSTRIS ORDINIS ELE-
PHANTINI EQUITI,
S. REG. MAJ. DANIÆ, UT ET SERENISSIMI
PRINCIPIS HOLSATIÆ SLESVICENSIS IN COMITATU
Oldenburg & Delmenhorst VICARIO
EMINENTISSIMO,

Domino meo Gratosissimo

Felicitatem perennem!

Illustrissime Comes

Domine Gratosissime.

Non indulgebo in præsens ludicris Poetarum votis,
vel centenas sibi apprecantium lingvas, quoties lau-
dum suarum præconiis digna sese offerebant: cum,
qui intra pectoris mei interiora iterum iterumque
exæstuat, devotissimæ pietatis, in memoriam *Illustriss. Cels.*
T. erga parentem meque ipsum hætenus continuatæ Muni-
ficentiæ,

A 2

ficentiæ, æstus, eo solo suam explicet magnitudinem, quòd fit Ineffabilis. Non tamen ita ad stuporem usque retineri debebat, quò minus aliquando efflagraret. Consilium igitur ex arena cepi, & muto huic exercitio Academico tot inferui submissæ gratitudinis meæ interpretes, laudumque Tuarum, *Comes Illustrissime*, præcones, quot literas, si modo Admirari Effari est. Elingvè idipsum est & exile, non cerusâ ornatum, non purpurâ, nuditatem suam tantummodò erubescit; nec alio placere cupit argumento, quàm humillimo affectu, qui tamen ipsè si displicuerit, quod deprecor, saltim gratiosâ mente recipi merebitur, quod ei indivulsus adhæret comes, ardentius votum: *Vivat Tantus mihi MOECENAS per longas adhuc atatum series, semper, in omnibus & ubiq; FELICISSIMUS.*

Illustrissimæ Celsit. I.

Servus humillimus

GERHARDUS SELLE,
Oldenburgensis.



DISSERTATIONIS,
DE
POSSESSIONE INSTRUMENTALI,
INGRESSUS.

MOris quidem est, beatos prædicare possidentes; ast & infelices eodem esse sæpius, res ipsa testatur. Magna fanè illa commoda sunt, quæ possessoribus in jure nostro tributa: Sed majora sæpè mala, quibus factò invidorum expositi; Quoties enim plurium in eandem rem prætenso est, quisque cupit esse beatus, possessionem quàm citissimè arripiendo. Quæ habendi cupido non definit, altero præventionis jure in possessione jam constituto, sed stimulus additur potius, possessorem omnibus modis sedibus suis dejiciendi. Cœli etiam, quod mireris, beatitudinem magis, ac possessionis alteri siveverunt exoptare. Hinc, quò compotes invidi reddantur voti, ad arma haud rarò, ubi jure experiundum erat, confugiunt, ac expulso possessore res ab eo detentas sibi addicunt. Quantum verò incommodi sentiendum illi, qui majori vi resistere non valet, unusquisque haud difficulter advertit: Et bonorum enim, & famæ, imò, vitæ quoque periculum plerumque subit, injustissimo invadentis insultui expositus possessor. Non quidem hic silent jura, sed loquuntur severè satis, quomodo tanta in vasoris coërcenda sit malitia. Sed proderit, intacta contra vim servare jura, quàm vulneratâ jam causâ quærere remedium. Dices, quid ergo aderit remedii? Possidere utique beatum est; Sed possessione tanto expelli incommodo, infelicissimum. Ergo

vel possessione abstinendum penitus, illiusque beatitudo negligenda; vel expressa superius incommoda sustinenda. Verum, utrique medelam affert nostra Instrumentalis possessio. Per hanc enim & possessionis quæruntur commoda, & malitiosi inuasoris avertuntur tela. Possidemus hic, sed & non possidemus, prout alterutrum incremento nobis est, aut detrimento. Discedo enim ex eo, quod occupavi, prædio; sed possessione discedo minimè. Indè vana omnis ira inuasoris est, licet non sit sine viribus. Occupet ille, prout libuerit, animo tamen meo vim non inferet, & ita nec possessioni meæ, quò minus hæc mihi maneat illibata. Utilitatem hujus possessionis usus comprobat; sed rara materiei tractatio mihi peperit difficultatem. Ignosces ergo, *Lector Benevole*, si materiæ non tetigero apicem. Ipse enim, si non, quod merebatur thema nostrum, dixisse me deprehendes, fatebere lubens, voluisse me de utili hac materia meditandis pluribus ansam suppeditare. Ego DEUM, qui instrumento illo admodum garentigionato, Sacrà scil. Scripturâ, gratiæ suæ possessionem nobis promisit, supplex imploro, ut, quam viribus ingenii destitutus suscepi, opera, eventum consequatur **FELICITER!**

Sit itaque.

CAPIT

CAPUT I.

De

Variis, Possessionem acqvirendi,
Modis.

S U M M A R I A.

P ossessionis & Instrumenti Etymologia remissivè. n. 1.	Constitut. poss. civilem & naturalem transfert possessionem. n. 20.
Descriptio possessionis duplex. n. 2.	Constitutarius, invito detentore, propria autoritate occupare rem non potest. n. 21.
Ultraque certo modo approbatur. numer. 3.	
Possessionis divisio primaria remissivè. n. 4.	Clausula constituti effectus. n. 22.
Possessionis acquisitio requirit (1.) animum. n. 5.	Constitutario decretum Manutentione dandum. n. 23.
(2.) Corpus. n. 6.	Inter plures constitutarios quis preferendus. n. 24.
Utrumque conjunctim & cur. numer. 7.	Constitut. expirat morte constituentis. n. 25.
Possessionis acquisitio duplex. n. 8.	Valet statutum, ut possessio ipso jure in heredes transeat. n. 26.
Statutum de Possessione m. de quasi possessione intelligitur. n. 9.	Dupliciter hoc limitat. n. 27. & seq.
Unius partis apprehensione totius possessio acquiritur. n. 10.	Effectus possessionis civilissima. numer. 29.
Limit. n. 11.	Etiam per procuratorem acquiritur possessio. n. 30.
Sublimit. n. 12.	Quoad hunc tamen distingvendi casus. n. 31. seq.
Quomodo Rer. Incorporalium quasi possessio acquiratur. n. 13. & seq.	Traditione clavium acquiratur possessio. n. 34.
Acquiratur possessio modis vel veris vel fictis. n. 15.	Quae ad hoc requirantur. n. 35.
Constitutum Possessorium quid? n. 16.	De SCOTATIONE. n. 36.
Quae requirantur à parte constituentis. n. 17. seq.	Per Consignationem quomodo acquiratur possessio. n. 37.
A parte Constitutarii. n. 19.	

Quan-

Quando visu? n. 38.

De Longa & Brevis manu. n. 39.

Quomodo per custodis appositionem, n. 40.

Alii modi, imaginariae acquisitionis recensentur. n. 41. seq.

Quid Investitura abusiva? n. 45.

Ritus Investiturae. n. 46.

Investitura quot & quales exigat testes. n. 47.

Instrumento an probetur Investitura. n. 48.

Solemnitatibus non observatis, Investitura est nulla. n. 49.

Investitura tribuit saltem jus ad rem. n. 50.

Dominus obligatur precise ad tradendum feudum. n. 51.

Vasallus propria autoritate feudi possessionem acquirere potest, numer. 52.

Obiectio. n. 53.

Quomodo per prescriptionem acquiratur feudum. n. 54.

De Feudo Recognito. 55.

Quomodo per Relationem in censum acquiratur possessio. n. 56.

Quomodo per Retentionem Ususfructus. n. 57.

Traditione instrumenti, tradita censetur possessio. n. 58.

Possessionem Instrumentalem publicam disputatione exhibiturus, non inquiram hac vice, unde descendat ipsum Possessionis vocabulum, cum, ne eum quidem, qui vix inspexerit Latium, hoc ignorare credam: Quae Labeonis de Etymo hujus vocis fuerit sententia, explicat Iustus Paulus in l. 1. pr. ff. de Acquir. vel amitt. poss. Instrumenti Etymon fuisse satis ac doctè exponit Jacob. Bornit. *Tract. de Instrum. lib. 1. c. 1.* Et quamvis ambigua hujus vocis in jure significatio sit, quod vel soli illi Tituli ff. de fid. Instrum. & de instruct. vel Instrument. legat. satis indicant. Attamen nec hinc me detinebo, sed Lectorem ad laudatum Bornitium remitto, qui d. lib. 1. c. 2. & 3. eidem satisfaciet. Verbo: Instrumentum hic capio pro scriptura fidem faciente. Nec circa definitionem possessionis realem anxie laborabo: Sufficiat mihi breviter descripsisse possessionem, quod sit jus detinendi rem corporalem cum affectione eandem sibi habendi. Quanquam nec male loqui videar, si dixerim, quod Possessio sit detentio rei corporalis cum animo eandem sibi habendi. Neutra definitio quicquam habet absurditatis, sed utraque, pro diverso possessionem considerandi modo, subsistere potest. Duplici enim modo spectatur possessio, secundum Dn. Hahn. *de jur. Rev. cap. 6. Concl. 57.* vel (1.) ut acquirenda, seu quatenus adhuc est in fieri, quomodo rectè per detentionem describitur, pluri-

plurimumque facti habere *in l. 19. ff. ex quib. caus. Major. dicitur possessio* vel (2.) quatenus in esse suum deducta & constituta est, ubi possessionem, per jus definiiri, communiter placuit: quæ sententia satis clare probatur *ex l. 44. ff. de Acquir. poss. l. 2. §. 38. ff. ne quid in loc. publ. Vid. Diss. Apologetica de Jure in re, adjecta Dn. Hahn. Diss. de Jur. Rer. cap. 4. pag. mib. 189.*

Distingui possessio solet multifariam: Princeps & omnium optima 4 divisio videtur illa, quando in Civilem & Naturalem dispescitur, de qua divisione vid. Hillig. *in Donell. lib. 5. cap. 7. lit. c.* & quæ Naturali possessioni opponi solent, vid. apud. Yannez Parlador. *Rer. quotid. lib. 1. cap. 9. n. 10.* quoniam mihi pro ratione instituti mei hæc & similia alia adducere & examinare non licebit. Ut verò scopum meum, quem intendo, eò facilius assequar, non abs re me facturum autumo, si quosdam possessionem acquirendi modos hoc capite recensuero.

Ubi tamen præmittendum, possessionem acquiri per rei possidendæ 5 apprehensionem; ad quàm requiritur (1.) animus sibi habendi: possessionem enim acquisiturus, ea mente & cogitatione esse debet, ut velit possidere. *l. 3. §. quod autem 1. ff. de Acquir. poss.* Solus tamen animus non sufficit. *§. 5. in fin. I. de Interdict.* hinc (2.) corpus vel actus aliquis corporalis 6 concurrat oportet. *l. quemadmodum. 8. ff. de acquir. poss. vid. Struv. Jurisprud. lib. 2. tit. 36. §. 5. Magnif. Dn. Præses Tract. de Jur. Sens. disp. 10. n. 44. & seq.* Cur verò utrumque sit necessarium, ex hac dependet ratione, 7 quia possessio est occupatio quædam vel detentio; ad occupationem autem & detentionem, & corpore & animò opus est. Vid. Dn. Hahn. *ad paratitl. W. in ff. tit. de acquir. poss. num. 3. verb. utrumque enim requir. in acquir.*

Jam, quantum ad possessionis acquisitionem, duplex ea constituitur, 8 una Propria, altera Impropria seu Analogica, quæ Quasi possessio dicitur: Statutū tamen de possessione loquens, etiam de quasi Possessione intelli- 9 gitur, utcunque versetur in materia pœnali. Vid. Tiraquell. *de Constitut. Possessor. p. 2. ampl. 34. n. 2. Duaren. in l. 3. pr. ff. de acquir. poss.* Illa est Res Corporalium; Hæc verò Incorporalium. Circa res corporales di- 10 stingv. *ex l. 30. ff. de usucap.* inter corpora unita seu connexa, ubi una parte apprehensa, animò tamen totum possidendi, integra res, in quantum est vacua, censetur apprehensa. Exemplum est *in l. possideri. 3. §. 1. ff. de Ac- 11 quir. poss.* Vel sunt separata & distincta, uni tamen nomini colectivo subsunt, ut in grege patet, quo casu unius ovis apprehensione facta, tota

- 12 universitas censetur apprehensa: nisi in diversis locis fuerint oves, sic enim figuræ separatim essent tangendæ. vid. Magnif. Dn. Præs. *Tract. de jure Sens. disp. 7. c. 2. à n. 7. ad n. 10. inclus. & n. 13. eod. cap.* Res verò Incorporales, quæ ob suam immaterialitatem nec manu nec oculis attingi possunt, vel cohærent rei corporali acquirendæ, & apprehensa re corporali, jura quoque annexa censentur apprehensa. Ita v. gr. Jdictio omnimoda, si Feudo cohæreat, unà cum ipso Feudo in consequentiam ad possessorem transit Dn. Præs. in *Exam. Jur. Feud. cap. 8. quest. 14.* vel in re alterius corporali sunt acquirendæ: Et tunc apprehenduntur (1.) cum in rem, quæ nobis servitutem debet, inducimur *l. 3. ff. de Usufr.* Dn. Brunnem. in *Repetit. paratitl. Wes. eod. qu. 13.* (2.) per usum vel exercitium actuum possessoriorum cum scientia & patientia conjunctum. Statil. Pacific. *dec. 44. n. 3.* cujusmodi actus in juribus negativis est prohibitio aut contradictio, cui prohibitus acquiescit. Vid. Dn. Struv. *Ex. 42. th. 16.* uti ad acquirendam quasi possessionem altius non tollendi sufficit, quòd dixerim vicino, ne altius tollat, & illum prohibuerim, & ille prohibitioni acquieverit. Rebuffus *ad Constit. Regn. Gall. Tom 3. Tractat. de Mat. poss. in prefat. num. 158.*
- 15 Propriæ Apprehensionis vel Acquisitionis modi sunt vel Veri, vel Ficti, qui fictione juris corporali apprehensioni æquiparantur. Et licet hi modi dicantur Ficti, quin tamen vera per eos acquiratur possessio, dubiò caret. Schneidew. *ad §. possidere §. n. 109. I. de Interdict.* Totidem verò modis ex fictione Legis acquiritur possessio, quot modis dominium. Ex illis, si non omnes, potiores certè nunc recensabo.
- 16 Offert autem hic se (1.) Constitutum possessorium, cum quis constituit, se rem, ante suam, nunc alieno seu ejus, in quem alienavit, nomine possidere. Cujus fundamentum est in celebri *l. Quod meo. 18. pr. ff. de Acquir. poss.* Ut verò valeat hujusmodi constitutum, requiritur (1.) à parte constituentis, ut rem, quam vult in alterum transferre possideat. *d. l. 18. verb. possideo.* & quia nemo plus juris in alterum transferre, potest, ac ipse habet. *per l. 54. ff. d. R. I. Ludov. Postius de Manuten. Obs. 20. n. 23.*
- 17 (2.) Constituens suo nomine possidere desinat, & alieno incipiat. Agitur enim hic de possessione amittenda, & alteri vicissim acquirenda; utrobique verò attendi debet animus, tam ejus, qui vult tradere, quam ejus, qui vult acquirere. Postius *d. Obs. 20. num. 19. & 22.* (3.) à parte ejus, in cuius commodum possidetur, qui Constitutarius dicitur, accedere debet appro-

approbatio; cum tunc demum constitutum transferat possessionem, si præfens sit ille, cujus nomine fit constitutum, vel ubi re integra ratificat. Post. cit. Obs. 20. n. 21. Hæc requisita, si concurrant, Constitutum civilem & naturalem transfert possessionem. Menoch. Recuper. possess. Rem 14. n. 20 25. Mev. p. 5. dec. 350. Licet constitutarius invito detentore propria autoritate fundum occupare non possit. Mev. d. p. 5. dec. 352. quia semper concessa potestate ingrediendi propria autoritate possessionem, sub intelligitur conditio: *si nemo resistat*. Ad minimum tamen clausula constituti operabitur paratam executionem. Struv. de Vindict. Priv. cap. 14. §. 3. n. 4. Unde est, quod constitutum peræque remedia possessoria & Decretum Manutenentiæ operetur. Postius sæpe d. Obs. 20. n. 15. & seqq. ubi n. 18. id extendit, ut etiam contra ipsum Constituentem manutenendū fit Constitutarius. Ex clausula tamen Constituti Possessorii non competere interdictum recuperandæ possessionis, putat Dn. Philipp. in U.S. Pr. ad Instit. Eclog. 73. lib. 4. quod in præfenti non discutio, fortè inferius occasio hoc tangendi dabitur. Ulterius & hoc ad effectum Constituti pertinet, quod in Manutenentiæ præferendū fit is, qui habet priorem clausulam Constituti; Imò præfertur anterior, habens clausul. Constitut. ei, qui habet posteriorem, licet corporalem possessionem. Post. de Manuten. Obs. 71. n. 27. seq. Quod si posterior creditor judicialiter consequatur possessionē, non præfertur illi Constitutarius in possessorio, nisi hic, antequam alter adeptus possessionem, se opponat. Mev. p. 5. dec. 159. Denique, licet constitutum finiatur per mortem Constituentis ex l. 12. §. 1. ff. de precar. & cap. ult. X. eod. non tamen ob id Constitutarius possessionem suam amittet, quin eam recuperet à successore & herede constituentis. vid. Menoch. Recuper. possess. Rem. 14. n. 64. & seqq. Postius p. 2. d. 89. n. 7. & 8. Add. Locupletissimus commentarius ipsius Tiraqvelli de jure Constituti Possessorii Tom. 4.

Alter modus, quando sine naturali apprehensione transfertur & acquiritur possessio, est, quoties singulari Lege vel Statuti beneficio indutum, ut ipso jure in alterum transeat possessio; cujusmodi possessionem vocare solent civilissimam: imò etiam civilem & artificialem. Postius de Manuten. Obs. 55. n. 54. Quamvis enim possessio in facto consistat, & hinc citra apprehensionem acquiri de jure nequeat, ne quidem heredi. l. 23. pr. ff. de Acquir. poss. B. Brunnem. in Repetit. paratitl. Wes. ad ff. a. tit. de Acquir. vel omitt. hered. qu. 19. licet suo: quia nuda existentia in suo herede plus operari nequit, quàm aditio hereditatis in extraneo. Gail. 2. O. 129. quin tamen Statuto vel Consuetudine contrarium, induci possit, non du-

- bitatur, quatenus nimirum iidem conceduntur effectus, qui aliàs ex vera & corporali apprehensione resultant. vid. Zœf. *ad ff. tit. de acquir. hered. num. 11.* Menoch. *Recuper. possess. rem. 1. n. 404.* Surd. *consil. 117. n. 8.* Et de Gallia hoc testatur Tiraquellus integro Tractatu, qui inscribitur:
- 27 *Le mort saisit le vis.* Hoc tamen sic demum procedit, quando ante aditam hæreditatem ab alio non fuerit continuata. Statil. Pacific. *de Interdict. Salviano. Inspect. 3. cap. 2. n. 353. seqq.* & si possessio de sui natura sit
- 28 ad heredes transitoria. *Idem dec. 142. n. 4.* Pariet igitur Civilissima hæc
- 29 possessio remedium adipiscendæ. Menoch. *Adipisc. Poss. remed. 4. n. 367.* Vincent. Honded. *vol. 2. Consil. 18. num. 16.* nec non retinendæ, uti possidetis, quando possessio defuncti turbatur; & recuperandæ unde Vi. Menoch. *Rem. Retin. poss. 3. n. 59. & Recuper. poss. Rem. 1. n. 392. & seq.*
- 30 III. Ad modos fictos pertinet, quando possessionem apprehendimus corpore alieno, veluti per procuratorem *l. 3. §. 12. ff. de acquir. poss.* quod enim corporis operâ & ministeriô geritur, æque per alium expediri potest. Hillig. *in Donell lib. 5. c. 5.* ubi tamen ob textus diversimodè loquentes, seu
- 31 pro eorum conciliatione casus diversi benè sunt separandi. Nam procurator occupat possessionem vel (1.) ea mente, ut nobis acquirat, & sic nobis acquiri possessionem per ipsum certum est *l. 1. §. 20. ff. de acquir. poss.*
- 32 Vel (2.) procurator id palam agit, seu verbis & opere declarat, se sibi possessionem acquirere velle, & hoc casu nihil agit, nec sibi nec domino mandanti possessionem quærit. *l. 37. §. fin. ff. de A. Rer. Dom.* vel (3.) procurator habet quidem intentionem sibi acquirendi possessionem, sed non exprimit, quòd velit suo nomine acquisitam, & tunc nihil quidem agit in sua persona, cum propositum in mente retentum nihil operetur. *arg. l. 7. C. de Condict. ob caus. dator.* Sed adhuc domino acquirit *l. 13 ff. de don. vid. Dn. Brunnem ad Wesemb. tit. de acquir. poss. qu. 5.*
- 34 IVtus modus fictæ & imaginariæ acquisitionis habetur *traditio clavium*: traditis enim clavibus horrei vel cellæ, res ipsæ in horreo vel cella traditæ intelliguntur *§. 45. l. de Rer. div. cum claves sint pars ipsius rei l. 17. pr. ff. de A. Emt.* Qui verò partem alicujus rei apprehendit, totius rei possessionem adeptus videtur. *arg. l. que de tota. 76. de R. Vindic. vel ut in specie loquitur Ulpianus ex Trebatio in l. Vulgaris 21. pr. ff. de furt. qui aurem alicujus tangit, totum hominem videtur tetigisse.* Rebuff. *ad Const. Regn. Gall. de mat. possess. in prefat. §. 59.* Requiritur tamen (1.) præcedens justus titulus; in dubio enim, quando titulus deficit, causam custodiæ indicat traditio & retentio clavium, per *l. 77. §. 2. de legat. 1.* Honded. *vol. 2. consil. 100. num. 52,*

n. 52. Constat ergo debet de voluntate tradendi. Molina de J. & J. Tr. 2. D. 13. n. 11. (2.) Etiam presentia rei tradendæ exigitur, ita, ut in conspectu fit. quomodo ex l. clavibus. ff. de contrab. emt. explicandus ante tit. §. 45. l. de Rer. div. Vid. Dn. Præf. Disp. 1. de jur. sens. cap. 3. n. 31. & latè Mascardus de Probat. vol. 3. Concl. 190. ubi n. 11. per apprehensionem annuli in conspectu Ecclesiæ realem transire possessionem tradit.

In horum numerum V. refero illum possessionis acquirendæ modum, 36
cujus meminit Pontifex in cap. 2. X. de Consuet. diciturque SCOTATIO; cuius formam d. cap. talem fuisse indicat: sc. quicumque in Ecclesiā, aliave pia loca donationem immobilium conferre valebat, is modicum terræ in manu accipiebat, altarique imponebat sub testimonio audientium & videntium, quò ipsò, possessio Ecclesiæ acquirebatur, cum tale signum non tam factæ donationis, quàm traditæ possessionis, evidens sit argumentum. d. cap. 2. Dn. Præf. de jur. sens. disp. 7. c. 2. n. 5. & 6. Consultatur ulterius de hac materia Gibalin. de scient. Canon. & Hieropolit. lib. 6. c. 4. Qu. 1. n. 3. fol. 314.

Ulto modo acquiritur possessio, per Consignationem rei emtæ; quando 37
nim. per eandem, venditore jubente, emtor merces à se emtas tanquam sibi traditas ab aliarum mercium numero segregat l. 14. §. 1. ff. de peric. & commod. R. V, Molin. d. D. 13. n. 16. ubi tamen distingv. Nam Consignatio aut fit ante venditionem, & non habetur pro traditione l. 1. §. 2. d. t. cum adhuc desit titulus, atq; magis, ne submutetur res, signari solet, quam ut tradi videatur: aut fit post venditionem, & regulariter præsumitur traditio facta, nisi alia præsumtio subsit, ut in obsignato vino, ne aqua infundatur. vid. B. Dn. Baunem. in d. l. 1. §. 2.

Aliquando etiam VII. solus visus ad acquirendam possessionem sufficit 38
in immobilibus: hæc enim, cum de manu in manum tradi nequeant, necessum est, alium actum aliudve signum adhiberi in vicem traditionis. E. si venditor emtori fundum venditum cum suis finibus è turri demonstraverit, vacuamq; se possessionem tradere dixerit; emtor verò eo fit animo, ut possidere velit, perindè possessionem hoc modo acquisivit, ac si pedem finibus intulisset, sunt verba J. Cti in l. 18. §. si venditorem. ff. de acquir. poss. Ratio autem hæc est: cum enim possessio, uti ab initio hujus cap. dictum, non nisi animo & corpore simul acquiratur, parum refert quò ad corpus, quònam sensum utamur ministeriò, ut per consequens non manibus tantum aut pedibus, sed & ipsis oculis possessionem adipiscamur. l. 1 §. 21. modo d. t.

36 Dn. Brunnem. in l. 1. ff. de acquir. possess. n. 14. quomodo longâ manu tradita & acquisita dicitur possessio: sunt autem oculi Longa manus l. pecuniam. 79 ff. de solut. De brevi manu est text. in l. Licet. 43. §. 2. ff. solut. matrim. juncta l. Singularia. 15. ff. de Reb. cred. Add. Dn. Præs. Tractat. de Jur. Sens. Disp. 1. c. 3. n. 29. & seqq.

40 IIX. Acquiritur possessio, si rei, quæ commodè loco moveri nequit, custos apponatur, veluti, si acervum lignorum emero, & eum venditor tollere me jufferit, simulatque custodem apposuissem, traditus mihi videtur. l. quarundam. 51. ff. de acquir. possess. Molina de J. & J. Tr. 2. D. 13. n. 15. Er licet aliàs, quoties per procuratorem possessionem acquirere volumus, requiratur in procuratore animus nobis acquirendi l. 1. §. 20. ff. eod. hæc tamen voluntas & hic animus in custode non inspicitur. Rebuff. ad Constit. Regn. Gallie tract. de mat. possess. in præfat. n. 55. & sq.

41 IX. Conducendo rem, quam possideo, alterum à quo conduxì, possessorem facio l. qui bona fide. 19. pr. ff. de acquir. vel am. possess. l. quedam mulier. 77. ff. de R. Vindic. si modo me possidere sciverim: facio enim meo ministerio illam, à quo conductam rem habeo, possessorem sepè d. l. quod meo. 18. pr. ff. de acquir. poss. Quod si me possidere ignoravero, nihil ago. vid. Zæf. ad ff. a. eod. tit. n. 8. Rebuff. ad Constit. Regn. Gall. tractat. de materia poss. in præfat. n. 77. & seqq. Molina d. Disp. 13. n. 13.

42 X. Possessio transfertur de reo in actorem, quando reo negat, se possidere, vel negat, quòd res sit auctoris sui l. fin. ff. de Reivind. D. Brunnem. in Repet. paratitl. Wes. ad ff. a. eod. qu. 32. quia propter mendacium privatur possessione sua, quæ transfertur in actorem, ut de actore fiat reus, salvo jure utriusque partis in petitorio vid. Tusch. in Verb. Possessio conclus. 424. n. 7. Necessarium tamen (1.) ut actor reum convincat mendacii, d. l. ult. verbis: ita ut si possit adversarius convincere. (2) ut reus in mendacio perseveret; quod si E. ante Litem contestatam dictum suum revocaverit, im-

44 munis à pœna hujus Legis erit. Mascard. de probat. concl. 1204. n. 26.

XI. Casus, quando citra realem apprehensionem acquiritur possessio, contingit in societate omnium bonorum expressè inita, ubi res tempore societatis in ita existentes, ipso jure communicantur, traditione vera non interveniente l. 1. §. fin. & l. 2. ff. pro soc. cum enim omnium bonorum difficilis esset traditio, nec sine evidenti incommodo fieri possit, utilitatis causa receptum est, ut traditio saltim tacita intetvenisse fingatur. Ludvvell. ad Inst. Ex. 4. §. 1. lit. F. & quia quasi constituit alter se alteri nomine possidere. arg. lcg. 18. pr. ff. de acquir. possess. B. Dn. Brunnem. Ex. 21, ad pr. I. de societ.

tat. Rebuff. ad const. Regn. Gall. tract. de mat. possess. in p̄f. n. 105. quod tamen limitatur saltim procedere in corporalibus: actiones autem & nomina in suo statu manent, nisi cedantur. Dn. Brunnem. d. L. Id. in tract. de cess. action. cap. 3. n. 72.

XII. Huc pertinet traditio annuli, hastæ, baculi, sceptri vel gladii, 45
per quam in præsentia rei feudalis factam ipsam possessionem transferri docet Borcholt. *allegatus à B. Ludvv. ad §. 5. n. 5. I. de interdict. quam vocant Investituram Abusifam, de qua 2. f. 2. pr. quoties sc. dominus signis quibusdam, futuram possessionem innuentibus, adhibitis, coram testibus alicui feudum concedit, prouti eam descripsit Excell. Dn. Præses in Exam. Jur. feud. c. 12. qu. 6.* Adhibentur ergo hic signa possessionis translationem re- 46
præsentantia, quæ tamen pro varietate feudorum variant; Nam summa feuda, (uti Regnum) per hastam aut gladium; Media, ut Ducatus, per Vexillum, & interdum per gladium; Minima per anulum vel torquæ; Ecclesiastica verò per baculum, pallium vel anulum concedi solent. Idem prælaud. *Exam. Jur. feud. d. c. 12. qu. 7.* hodiè verò Imperator communiter per enssem investit, cujus extremum conum osculantur. vid. *Carpz. de L. Reg. Germ. cap. 10. sec. 9, a. n. 18. usq. ad finem.* (2.) Hujus investituræ solenni- 47
tas requirit testes ad minimum duos, & ut sint de paribus curiæ, non extranei. 2. f. 2. Nisi fortè Dominus Pares curiæ non habuerit; quo casu alii testes idonei & fide digni admittendi. *dict. Exam. Jur. feud. cap. 12. qu. 11.* Et quia testimonium hic non tam est veritatis, quàm potius solennitatis, scæmina ad testimonium ferendum inhabilis reputatur 2. f. 32. in fin. In tantum verò necessum testes adhiberi, 48
ut nec per instrumentum investitura probari possit: quamvis enim publico instrumento fides habeatur, *L. in exercendis, 15. C. de fid. Instrum.* hoc casu tamen breve testatum seu instrumentum testibus corroboratum non aliter valet, quàm si illud à paribus Curia sit subscriptum 2. f. 32. vid. tamen *praxin. hodiernam penes Struv. in S. J. F. c. 16. §. 14.* Adeò verò modò dictæ solennitates sunt necessariae, ut iis non observatis, Investitura sit nulla 2. f. 32. Circa effectum investituræ abusivæ quæri solet, an opere- 49
tur jus aliquod in re, an verò Jus ad rem? Posterius affirmat *Struv. in S. 50 J. F. cap. 8. §. 9.* ubi contraria refutat *Carpz. p. 2. c. 45. def. 1. n. 6.* Quamvis verò investitura Abusifiva nullum jus reale tribuat, non tamen sine effectu omni est. Nam (1.) Dominium præcisè ad tradendum feudum obligat, 51
2. f. 7. in fin. adeò, ut ne quidem interesse offerens dominus audiatur, si Vasallus ipsam rem habere maluerit, modò Dominus facultatem rei tradendæ

52 denda habeat. vid. Struv. *S. J. F. cap. 8. §. n. 3.* Præterea (2.) concedunt quoq; interpretes vasallo, hōc modò investito licentiam propria auctoritate apprehendendi possessionem ipsius rei, in feudum concessa. Jason. *in L. quoties 15. n. 31. C. de Rei vindic.* D. Brunnem. *ad ff. a. L. 1. de acquir. poss. n. 2.* Cum enim Dominus, Investitura solenniter celebrata, Jus feudi Vasallo quasi cedat, videtur ipsi rem apprehendendi potestatem facere. Struv. *d. cap. 8. §. 10. n. 2.* modo tamen, uti jam supra dictum, nemo resistat; con-

53 tra resistantem enim opus est iudicio. Dixi verò superius, per traditionem clavium acquiri possessionem rerum sub clavibus contentarum: dubitare indè quis posset, an non per æq; Bireti vel ensis &c. traditione possessio feudi acquiri possit? Ad hoc dubium resp. Schneidew. *ad §. possidere 5. I. de interdictis n. 123.* quòd res sub custodia clavium contineantur, ut adeò non mirum, quòd traditis clavibus, sub quarum custodia sunt res, ipsæ etiam res intelligantur traditæ. Ensis verò & annulus, &c. nihil commune habent cum re feudali, nisi fortè in conspectu rei feudalis talis traditio signorum fiat, cum expressa contestatione Domini tradentis. Et hæc *ως εν παροδω* de investitura abusiva.

54 XII. Loco hic subjungo adhuc illum modum possessionem feudi acquirendi, si dixerit Dominus Vasallo: *vade in possessionem feudi, & teneas illud pro feudo. 2. f. 33. pr.* Struv. *S. I. F. c. 8. §. 1. n. 4. Et eod. c. §. 11. n. 2.* quam ita magis facultas apprehendendi possessionem, quam ipsa possessio concessa videatur. Demum & hic casus sine corporali apprehensione

55 possessionem acquirendi in feudalibus observandus, si quis bona sua allodialia ut feudali ab altero recognoscat. Dn. Brunnem. *ad L. 1. C. de acquir. poss. in fin. qualia feuda dicuntur Oblata vel Recognita vid. d. Exam. jur. feud. cap. 2. qu. 14. it. cap. 3. qu. 15.*

56 Sufficere poterant hi modi ficti acquirendi possessionē ceu principaliores: quia tamen titulus Codicis de donationibus unum & alterum adhuc suppeditat, lubuit eosdem ad calcem hujus capituli reservare, quos leviter & primoribus labris saltim delibo. Unus continetur *in L. censuallis 7. C. d. t. de donat.* scilicet, si quis Domino consentiente & donare volente rem ejus, veluti suam, in censum referat, per hoc acquirat ejus rei possessionem. Alter casus est *in L. 28. C. d. t.* quæ habet, transferri possessionem rerum donatarum retento usufr. Nam, si quis constituat se usufructuariū,

57 puta vendendo vel donando alicui, reservato pro se usufructu, necesse est in consequens, ut proprietatem à se abjicere & nomine proprietarii possidere velit, præprimis cum nemini res sua serviat. *L. 5. pr. ff. si usufr. petat.*

Postius

Postius *obs. 20. n. 54.* Mascardus *de probat. concl. 1195. n. 2.* non tamen vice versa per Retentionem proprietatis probatur facta traditio ususfr. seu utilis Domini. Rebuff. *ad Const. Regn. Gall. tract. de materia possess. in p[re]fat. n. 94.* Ultimus tandem modus acquirendi possessionem contingit per traditionem instrumentorum; nam si instrumentum venditionis domus meæ alicui donem & tradam, possessionem Domus tradidisse videor. text. est in *L. i. C. de Donat. D. Brunn. ad Wes. eod. tit. qu. 33.* quamvis non hoc solo significato instrumentalis possessio nobis veniat, sicuti hoc ex subsequentibus apparebit uberius; Sit itaque

CAPUT II.
DE

Possessionis Instrumentalis Natura
& Acquisitione.

SUMMARI A.

<p>Diversitas Possessionis Instrumentalis. n. 1. & 2. Ejusdem descriptio. n. 3. Quomodo ab aliis possessionum generibus differat. n. 4. Possessionis Instrument. objectum. numer. 5. Instrumentalis possess. species duæ repetuntur. n. 6. Instrument. possessio an in jure Rom. fundata. n. 7. Ad acquirendam possessionem Instrument. apprehensio est necessaria. n. 8. Ritus in acquirenda possessione Instrumentali. n. 9. Synonymum possessionis Instrum. n. 10.</p>	<p>De voc. Ein Entsprehntes Gut. numer. 11. Frustrulum ligni resecatam, & ejus effectus. n. 12. In beneficialibus quomodo fiat apprehensio. n. 13. Possessionem Instrum. acquisiturus an omnes glebas circum ambulare debeat. n. 14. Apprehensione partis fundi, totus fundus apprehenditur. n. 15. Apprehensa una re hereditaria, an & reliquæ videantur apprehensa? numer. 16. Ad possessionem Instrum.edium consequendam, omnia conclavia in iis aperiri opus non est. n. 17.</p>
--	--

<i>Idem, si plures agri pecudesve ad ades pertineant. n. 18. seq.</i>	<i>Non autem possessio præsens. n. 33.</i>
<i>Apprehenso principali, & accessorium censetur apprehensum. n. 20.</i>	<i>Ex instrumento captura possessionis pro possessore præsumptio nascitur. num. 34. seq.</i>
<i>Instrument. possessori non sufficit rem apprehendam esse in conspectu. n. 21.</i>	<i>Forma Instrumenti super captura pos- sessionis n. 36.</i>
<i>Oculi, quando sufficiant ad acquiren- dam possess. & quando non. n. 22. seq.</i>	<i>An à Notario præcisè hoc consiciendum? n. 37.</i>
<i>Instrumentalis possessor, Naturalem & civilem possessionem habet, n. 24.</i>	<i>Negativa probatur. n. 38.</i>
<i>Objectio. n. 25.</i>	<i>Sufficit Instrumentum à tribus testibus subscriptum. n. 39.</i>
<i>Possessio animò retenta, merè civilis non est. n. 26.</i>	<i>An solius Notarii scriptura, sine testi- bus, sufficienter probet apprehensio- nem? n. 40.</i>
<i>Possessionis Instrum. fundamentum in jure Rom. n. 27.</i>	<i>Quod negatur. n. 41.</i>
<i>Instrumentum, an probet possessionem? n. 28.</i>	<i>Notarius debet esse rogatus. n. 42.</i>
<i>Possessionis apprehensio Instrumento probari potest, non autem ejus con- tinuatio. n. 29.</i>	<i>Instrumentum possessionis non probat, si non sit in forma probanti. num. 43.</i>
<i>Per instrumentum probari potest pos- sessio de præterito, n. 30. seq.</i>	<i>Quod limit. n. 44.</i>
	<i>An sufficiat præsentibus solum testibus capta possessio. n. 45. seq.</i>
	<i>An possessionis apprehensio per testes sufficienter probari possit? n. 47.</i>

Vlſis hætenus plerisque, quibus possessio transferri in alterum
soleat, jam propius ad thema nostrum accedendum, & Possessio-
nis Instrumentalis natura in antecessum exhibenda. Duplici ve-
rò ratione possessio dici poterit Instrumentalis. Primo quidem modo,
quatenus per traditionem Instrumenti possessionem rei, licet adhuc apud
me detentæ, transfero; Traditio enim instrumenti ipsius rei traditionem
involvit. *l. 1. C. de donat.* In quo textu principalis hujus materiæ sedes est.
² Conf. Carpz. *p. 2. C. 33. def. 15.* Possessio E. hæc, ratione medii transferen-
di possessionem, Instrumentalis dici potest. Altero modo possessio Instru-
mentalis dicitur, quando quidem actu corporali, realiq; apprehensione
possessionem rei adipiscor, in præsentia Notarii & testium ad hoc requisi-
torum; non tamen maneo in rei occupatæ possessione, sed indè discedo,
ean-

eandemque vacuam relinquo; saltim à Notario apprehensæ possessionis Instrumentum exigo, in quo attestatur Notarius, me præsentem ipso & testibus in instrumento nominatis, hujus rei possessionem apprehendisse, meq; eandem rem in futurum possidere velle: Et hæc possessio magis communiter à Dd. Instrumentalis appellari solet; qua de re vid. Ludov. Post. Tract. de Manuten. Obs. 21. ubi n. 3. hoc vocat Instrumentum capture possessionis. Ego in hac disputatione de utraq; possessionis Instrumentalis specie agam, nec enim commodè, ob maximam cognationem, quam in effectu habent, separari possunt: ubi verò diversitas suberit, hanc quoque non negligam.

Describo autem in genere Possessionem Instrumentalem, quòd sit *3* *jus mediante instrumento rei corporalis detinenda ei, insistendi, cum animo rem ipsam sibi habendi.* Termini hujus descriptionis explicatione opus non habent. Quæ enim aliàs ad possessionem in genere describendam requirunt Ddres, eadem meritò ad possessionem Instrumentalem applicanda, addito tamen eo, quò ab aliis possessionum generibus distinguitur, sc. quòd mediante instrumento rei alienæ insistam eandemque detineam. Aliter describi, genusq; proximius substitui potuisse fateor, sed *4* cum res ipsa ex nostra descriptione in obscuro non sit, in ea subsistere placet. Hoc saltim pro declaranda descriptione subjicio. Objectum hujus *5* possessionis Instrumentalis non esse Instrumentum; quamvis enim & hoc possideatur, non tamen possidetur, tanquam res principalis; sed objectum est ipsa res corporalis: (in incorporalibus enim saltim quasi possessio est. *l. 3. pr ff. de acquir. poss. junct. l. 3. §. pen. ff. de Vi & Vi armat. l. si quis diuturno 10. ff. si servitus vindic.* quam quasi possessionem pariter instrumento acquiri & conservari posse non nego, licet id quadantenus negare videatur Petr. Rebuff. *ad Const. Regn. Gall. Tom. 3. Tr. de Mater. poss. præf. n. 83.* Occupabor tamen hac vice saltim circa possessionem Instrumentalem rerum corporalium, ex qua incorporalium quasi possessio dijudicari solet.) Scriptura verò saltim est medium seu signum translatae possessionis; undè in descriptione dixi, quòd talis possessor intendat mediante instrumento rem ipsam sibi habere.

Species hujus Instrumentalis possessionis superius duas esse dixi, *6* Alteram, quæ citra realem rei apprehensionem per Instrumentorum super re illa confectorum traditionem, possessio in nos transfertur; Alteram verò, quæ realiter quidem rem apprehendimus, sed detentionem illius rei corporalem iterum dimittimus, retentò saltim instrumentò super capta

7 possessione confecto. De hac specie, utpote quam comunius Instrumentalem dici superius monebam, prius agendum, & annon illa in jure Romano fundata, videndum. Vocem si respexeris, certum est, nullam instrumentalis possessionis in jure fieri mentionem; Ad rem tamen si reflectas, utique illa in jure latitabit. Ut verò de hoc constet accuratius, modum acquirendi vel constituendi hanc possessionem Instrumentalem paucis declarabo.

8 Certum est in jure Romano, solo animo possessionem acquiri non posse, sed & corporalis actus est necessarius. *L. 3. §. 1. l. quemadmodum. 8. ff. de acquir. poss. vid. supr. cap. 1. n. 5. seq.* undè infero, & ad hanc Instrumentalem possessionem omninò corporali ingressu actualiq; apprehensione opus esse. Apprehensio autem in ejusmodi actibus corporalibus fieri debet, quibus quis declaret, se totius fundi possessionem apprehendisse. Undè adium possessionem Instrumentalem adepturus, primò apprehendere januam vel anam januæ solet, postea ad interiora se confert, & conclavia præcipua itidem aperit & claudit, hac contestatione coram Notario & testibus adjecta; sed hac ratione totius domus possessionem apprehendere: postea ex ædibus iterum discedens, festucam vel frustulū ligni è janua resecatam, secum ferre solet, tanquam reale indicium apprehensæ possessionis, quæ & inde Festucaria possessio aliquibus dici solet: (per festucam enim, præsertim apud Brugeses transferri possessionem solere, ex Curtii *lib. 3. Conjectur. notat Hillig. in Donell. lib. 5. cap. 9. lit. d. in fin.*) Germ. aliquando dicitur; Ein Entspähntes Gut: solet enim interdum creditori, non solvendo existente debitore, jus pignoris ac possessionis per festucam ejusmodi concedi, qua de re Wehner. *Obs. Pract. sub voce: Entspähnt Gut: ex Reform. Norica* hæc refert: Wann zur Bezahlung fahrende Haabe nicht genug seyn noch reichen/ so wird zu den liegenden Gütern verholffen. Und wann die Execution gebeten und erlangt/ so wird durch den Trohn- oder Landbothen aus dem Haus ein Span/ aus einem Acker oder Wiesen eine Erdscholl oder Wasen genommen/ und auff das nechste folgende Gericht der Span/ Schollen oder Wasen auffgebotten/ und folgt darauff die Vergantung. Und ein solch Gut/ mit dem also verfahren/ wird genant ein entspähnt liegend Guth. Wann nun hierüber keine Bezahlung erfolget/ werden Vergant- Zettel ertheilet/ und wofern in Zeit des angeschlagenen Vergant- Zettels bey den Verkäufern kein Käufer sich anzeigt/ der das Gut kauffen wolt/ so wird auff das nechste Gericht nach gethaner der Unterkäufer Ansage dem Schuldener zu Erthei-

theilung des Spen-Brieffes (oder Pfand-Brieffes) verkündiget. Auch da der Schuldener nicht zahlet/ der Spen-Brieff ertheilet/ im Gericht verfertiget/ und der Gläubiger in das entspäht Gut eingesezet. Et sic¹² quoq; jus immisionis per refecationem frustuli ligni durch Aushauung eines Spahns aus der Thür/ concedi solere, testatur Richter. *part. 1. Conf. 65. n. 7. ubi num. 9. de effectu refecationis hæc habet: Es kan solche Aushauung des Spahns aus der Thüren / so in re presenti geschehen / und einer fictæ traditioni sub conditione allerding nicht unähnlich/ so gar vergeblich/ und ohne einige Wirkung nicht gehalten werden; habet enim vim demonstratæ rei, quæ sub conditione non factæ solutionis creditori bonorum possessionem & consequenter dominium tribuit.* Hactenus Dn. Richter-Conf. Dn. Diether. *ad Besold. thesaur. sub voc. Eine Vorzugs-Gerechtigkeit.* Cæterum, non saltim frustulum ligni è janua refecatum, sed & glebam ex agro sumptam secum ferre solet, quò ita se totius prædii possessionem occupasse testetur. In beneficialibus verò annulus portæ loci beneficialis apprehendi solet. Mascard. *de probat. vol. 3. Concl. 1191. 13 num. 19.*

Sed hic jam quæritur, an possessionem Instrumentalem acquisiturus¹⁴ necessum habeat, omnes glebas circumambulare? Et respondet Jctus in *l. 3. §. 1. ff. de acquir. poss.* quod non: sed sufficit, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hac sit, quòd velit totum fundum usque ad terminum possidere. Apprehensione E. partis fundi, censetur possessio totius fundi apprehensa; & apprehenso universo integrali¹⁵ vel continente, censentur apprehendi omnia comprehensa & contenta sub illo universali Gothofred. *add. l. 3. §. 1.* Procedit verò hoc ipsum, si de acquisitione possessionis cæterarum partium integralium quæstio sit: si¹⁶ enim rerum separatarum possessio arripienda. E. g. possessio rerum hereditariarum diversi generis, non sufficit unius apprehensio *arg. l. 30. pr. ff. de Usucap. Struv. S. I. C. Ex. 42. §. 17.* sed singulæ, quæ diversi generis sunt, apprehendendæ erunt: quamvis enim unius rei hereditariæ apprehensione declarem me esse heredem, hoc tamen ad juris hereditarii translationem saltim spectat: possessio verò apprehensione quoque cæterar. rerum opus habet *l. cum. heredes. 23. pr. ff. de acquir. poss.* Conf. Magnif. Dn. Præf. *tract. de jur. sens. Disp. 7. c. 2. n. 15. ubi simul ad l. 37. pr. ff. ad Sct. Trebell. respondet. Add. Hillig. in Donell. lib. 5. cap. 9. lit. a. Gail. 2. O. 129. n. 6.* Ex quibus infero, sufficere ad possessionem instrumentalem ædium consequendam,

januam ædium aperire & claudere, resecato frustulo ligni, quo ipso possessionem totius domûs consequetur, ut hinc cæterorum conclavium in-
 18 gressus sit saltim cautelæ abundantis loco. Postea si agri quoque certi
 ad ædes pertineant, agrum unum ingredi, & ablata certa gleba, se toti-
 us agri possessionem ita apprehendere velle, testari sufficit *arg. d. l. 3. §. 1.*
 19 *ff. de acquir. poss.* Quod si & pecudes, oves, & boves adfuerint, uno
 ex illis apprehenso omnium ejusdem generis possessionem videtur ade-
 20 ptus, quæ modo in illo prædio sunt vid. Dn. Præses *d. c. 2. n. 13.* Quam-
 vis fatear, si res illæ se habeant ut accessorium seu pertinens ædium, non
 oportet talia accessoria speciatim apprehendere, cum apprehensa re prin-
 cipali & accessorii possessio quæsitâ censeatur. Undè, apprehensa posses-
 sione alicujus castri vel territorii, censentur etiam apprehensæ omnes vil-
 læ ad castrum pertinentes, omnes fundi circumjacentes, & quicquid
 omninò in isto territorio vel extra illud ad castrum pertinent. Jason. *ad*
l. 3. n. 20. ff. de acquir. possess. Speidel. *in Specul. sub voc. Pertinentiæ.* Habent
 se enim tales pertinentiæ instar partis: Acquisitâ verò partis possessione,
 in dubio tota res acquisita censetur. Rebuff. *ad Constit. Regn. Gall. tract. de*
mat. poss. pref. n. 75.

21 An verò sufficiet ædes non ingredi, sed saltim in conspectu ædium
 testari, se hoc modo possessionem velle arripere, & petere Notarium, ut
 desuper conficiat instrumentum? Et videtur hoc affirmandum, cum ocu-
 li longa manus sint. *l. pecuniam. 79. ff. de solut.* ut ita apprehensio oculis
 facta in effectu apprehensioni corporali comparetur, *l. 1. ff. 21. ff. de acquir.*
poss. sed procedit hoc, quoties res ab uno possessore in alium transferenda;
 22 ibi enim rei è longinquo demonstratæ possessio oculis acquiritur. *l. quod*
meo. 18. §. si venditorem. 2. ff. d. t. Ob quam causam, quod obiter moneo,
 malè huc trahi solet exemplum Diaboli *Matth. 4.* CHRISTUM deducentis in
 altissimum locum, eique ostendentis omnia regna mundi, cum promissi-
 one, se omnium eorum possessionem & Dominium in CHRISTUM transla-
 turum, quod exemplum adducit Rebuff. *ad Const. Regn. Gallie tom. 3. tractat.*
de mater. poss. pref. n. 44. Qui enim ita possessionem vult transferre,
 ipsam prius habeat necessum est: Atqui verò nil proprium hic fuit Dia-
 23 boli. Aliud est, si quis vacantem possessionem ipse occupare, & non
 ab alio acceptare velit; hoc casu oculi non sufficiunt, sed & manibus
 seu corporali apprehensione vel ingressu opus est. Postius *de Manuten. Obs.*
21. n. 26. Conf. Mascard, *de probat. Conclus. 1191. n. 13.*

Appre-

Apprehensa hoc modo possessione, nullum est dubium, & natura-²⁴
 lem & civilem possessionem arripienti esse quæsitam: Et corpore enim
 rem illam tenet, & animum sibi habendi insimul habet, seu affectionem
 tenendi, ut loquitur *Œtus in l. 1. §. 3. ff. de Acquir. poss. concurrente au-*
tem corpore & animo, vera possessio dicitur quæsitæ. l. 3. pr. d. t.
 Cum verò ipsi consultum non sit in re occupata corpore morari, fortè
 quòd metuat Adversariorum insultus, instrumento sibi consulere solet,
 non ut per instrumentum possessionem acquirat, sed ut possessionem ac-
 quisitam per instrumentum probare ac defendere valeat. Ex eo autem
 jam liquet, qualis sit ille possessor instrumentalis, & quousque hæc pos-
 sessio in jure fundata: Sc. dico, eundem habere veram possessionem & ci-
 vilem & Naturalem. Nec obstat, quòd corpore in possessione non ma-²⁵
 neat. Resp. enim, alia acquirendæ, alia conservandæ possessionis ratio
 est: solus enim animus ad acquirendam non sufficit, benè tamen ad con-
 servandam. *l. 3. §. 7. ff. de acquir. poss. leg. 30. §. 1. ff. eod.* Et hæc possessio²⁶
 animò retenta non pro merè civili reputanda; ita enim retinetur, ac
 erat acquisita; Atqui verò acquisita vera possessio, tam naturalis quàm
 civilis. E. eandem & animo retinebitur. Simili ratione mercator ad
 nundinas proficiscens, ac vacuas ædes relinquens, earum veram posses-
 sionem retinet, quamvis alius eas interim occupaverit. *l. Clam. possidere.*
6. in fin. ff. d. t. Uti enim animum revertendi habet mercator, & ita
 possessionem ædium non dimisit: Ita quoque Instrumentalis possessor,
 quamvis corpore discedat, animò tamen possessor remanet, reversurus
 ad prædium occupatum, quamprimum hoc utile ipsi visum fuerit, Ha-²⁷
 bet E. possessio Instrumentalis fundamentum in *d. l. Clam. possidere. §. 1.*
 Et licèt ibi instrumenti nulla fiat mentio, fit tamen mentio possessionis
 corpore dimissæ, sed animò retentæ; qui retinendi animus nostro ca-
 su per Instrumentum declaratur, quò, si postea desuper oriantur lites,
 idem probari possit.

Indè verò hic discutienda sese offert quæstio; An Instrumentò pro-²⁸
 bari possit possessio? ubi quidem certum est, & instrumentis suam inesse
 probandi vim, adeò, ut quædam melius instrumentis ac testibus proben-
 tur, quod fit in ætatis probatione, *per l. 3. C. si min. major. se dixer.* Inter-
 dum tamen vice versa testes melius probant ac instrumenta, ut indè pru-
 dentis judicis arbitrium hic necessarium fit. *per l. in exercendis. C. de fide*
Instrum. Quod E. possessionis probationem concernit, dico: Possessio-²⁹
 nis apprehensionem instrumentò quidem probari posse, sed non posses-
 sionis

fionis continuationem, seu præsentem possessionem. Est enim apprehensio possessionis talis actus, super quò licitè instrumentum conficitur, ut hinc ingressus & apprehensio per instrumentum commodè probetur, uti ex *Surd. lib. 1. Consil. 117. n. 2.* notat Postius *de Manuten. Obs. 21. num. 8.* Qua ratione asserit quoque Mascard. *de probat. vol. 3. Concl. 1191. n. 27.* possessionem quidem non probari per instrumenta directè, benè tamen indirectè, quatenus possessio resultat ex illis actibus, super quibus instrumentum confectum, præsertim si Notarius, ut super his actibus formet
 30 instrumentum, fuerit rogatus. Ex quo sequitur, benè probari possessionem de præterito per instrumentum, scilicet habuisse me illius prædii possessionem; Ex quo vera est Dd. illatio; in factis antiquis possessionem per instrumenta probari. Mascard. *d. l. n. 30.* hic enim probatur saltem, quis olim fuerit in possessione, quo instrumento tunc confecto commodè cemprehendi potuit. Nec obst. quod Postius *Tract. de Manuten. Obs. 21. num. 73.* habet, non probare fidem Notarii de accessu ad capiendam possessionem de præterito: Id enim ibi vocat præteritum, quod præsentem Notario gestum non est; nam subjicit mox, quòd attestatio Notarii probet de facto & actis possessoris coram se gestis. Si quidem hoc generale est, ut Notarii attestato non credatur, nisi quod ipse vidit & sensit, de quo vid. Dn. Præsid. *tract. de jur. sens. in proem. n. 24.* seu in negotiis coram ipso præsentem gestis. Ant. Faber. *in Cod. Sabaud. lib. 6. tit. def. 10. n. 7.* Quando itaque dixi, instrumentum probare possessionem de præterito, non illud tempus, quod præcedit instrument. intelligo; sed illud quo instrumentum, quod præteritum ex ratione illius temporis, quo super possessione in iudicio litigatur. Quod verò
 33 præsentem seu continuatam possessionem attinet, illa instrumento probari nequit; instrumenta enim de actibus momentaneis conficiuntur, juxta Baldum. *ad Rubr. Cod. de fid. instrum.* Quamvis E. tempore confecti instrumenti quis in plenissima possessione fuerit, confecto tamè instrumento eandem amittere potuit; Et impossibile est, illa per instrumenta velle probare, quæ post conditum instrumentum demum contingere.

34 Verùm, hac ratione parùm utilitatis latitare dices in possessione Instrumentali, si super instrumentum ejus continuatio probari nequeat: Sed omninò utilis nostra possessio est. Sit enim ita, per instrumentum probari solam possessionis capturam, uti loquuntur; quia tamen in eodem instrumento testatum facit possessor, se hac intentione possessionem

tionem apprehendere, ut velit etiam in futurum possidere, præsumendū erit pro eo, quòd adhuc possideat; cum voluntatis mutatio non præsumatur. *l. 22. ff. de probat.* & ita possessio instrumentalis continuata præsumitur usque ad tempus motæ litis. Postius *d. Obs. 21. n. 11.* quæ præsumtio eò majore fundamento nititur, cum frustulum ligni refecatum, & instrumentum ipsum possideatur, ex quo animus rem principalem possidendi evidens est. Undè Menoch. *de præsumt. lib. 6. præf. 64. n. 17.* dicit; Possessionem Instrumentalem usq; ad mortem continuatam præsumi, donec probetur contrarium. Add. Postius *dec. 633. n. 44.*

Caterum, qua ratione illud ipsum instrumentum comparatum esse debeat, quod super apprehensione hujus possessionis conficitur, prolixè exponere, vix operæ pretium erit. Quæ enim in genere ad instrumenti solennis confectioem requisivit Imper. Maximilian. *in Ordin. Notar. de Anno 1512.* ea hic quoq; observanda erunt; cui volupe est requisita illa instrumentorum prolixè deducta videre, adeat Jacob. Bornit. *Tr. de Instrument. lib. 2. cap. 18. & seq.* Id verò paucis tangendum, an præcisè Notarii præsentia opus sit, quòd ab hoc conficiatur instrumentum? Ubi quidem omninò consultum erit, Notarium adhibuisse; hujus enim major fides est, quàm alterius privati, ob solenne Jurisjurandi vinculum, quò ab initio suscepti officii constrictus, adeò, ut duorum testium vices subeat. Mev. *p. 3. dec. 171. n. 3.* hinc semper pro Notario magna est præsumtio. Alciat. *de præsumt. Regul. 3. præf. 16. n. 19.* Non tamen puto, Notarii absentiam vitare hanc possessionem instrumentalem. Solenne enim instrumentum non ad possessionis apprehensionem, sed ad apprehensæ probationē exigitur. Probatio verò, cum per alios testes fieri possit, non absolutè necessarius erit Notarius. Quod & sentire videtur Postius *de Manuten. Obs. 21. n. 46. in med.* Undè statuo, si instrumentum saltim à tribus testibus subscriptum fuerit, sufficere hoc quoad possessionis jus, quamvis Notarius non adfuerit: Instrumentum enim tale pro publico habetur. *per l. scripturas. 11. C. qui pot. in pignor.* modò de manu & subscriptione testium constet, vel per Recognitionem, vel per Comparisonem. Cardin. Mant. *de Tacit. & ambig. convent. lib. 11. cap. 24. n. 9. seq.* B. Dn. Brunnem. *in d. l. Scripturas. n. 5. seq.*

An verò solus Notarius sine testibus apprehensam possessionē sufficienter testari possit, de superque instrumentum conficere? Id videbatur, quia antea dictum, duorum testium loco habetur. Sed contrarium verius est, regulariter scripturæ Notarii fidem non haberi sine testi-

bus: ut enim Notarius solus duorum testium omni exceptione majorum vices suppleat, id ipsi nunquam tributum. *Mev. p. 4. dec. 13. n. 4.* Potius extra ea, quæ publico jussu facit, sine testibus fidem non facit. *Mev. p. 2. dec. 155.* *Cotkmann. vol. 2. Resp. 68. num. 69.* i. e. in actibus extrajudicialibus semper testes adhibere tenetur *Mascard. de probat. Concl. 1099. num. 8.* *Wesembec. consil. 14. n. 59.* E. & si super possessione testari velit, testibus opus erit.

42 Pari ratione, cum Notarii instrumento fides non habeatur, nisi ad negotium illud, super quo conficiendum instrumentum rogatus fuerit; etiam in præsentis casu de hac rogatione constare debet. Sicut & cæteræ solennitates Instrumentorum hic regulariter non negligendæ; undè *Postius de Manut. Obs. 21. n. 70.* dicit, Instrumentum possessionis non probare, si non esset in forma probanti, ut quia esset sine die, testibus, vel subscriptione & signo Notarii; subjicit tamen hanc limitationem: nisi consuetudo loci probata relevaret ab ista solennitate: In omnibus enim negotiis ratione solennium consuetudo loci, ubi actus est gestus, venit attendenda *l. 6. ff. de Evisit. Conf. Postius p. 2. dec. 353. n. 1.* ubi dicit, Observantiam defectus instrumenti supplere.

45 Quæritur verò demum, quid statuendum, si quis vacantem quidem in præsentia testium possessionem apprehendat, sed non adfit Notarius, nec postea instrumentum de super conficiatur? Instrumentalis quidem illa possessio dici nequit; in effectu tamen eandem habebit possessionem, ac si instrumentum esset confectum. Certum enim est, instrumentum saltem ad possessionis apprehensionem probandam confectum esse; jam verò instrumentis & testibus eadem probandi vis inest. *per Lin exercendis 15. C. de fid. instrum.* imò possessio ferè melius testibus ac instrumentis probatur, uti diximus superius, ideoq; si hi testes de apprehensa possessione juratò deposuerint, non deneganda sunt possessionis beneficia illi, qui pro se testes producit. Testis enim deponens, se vidisse Titium possessionem apprehendere, probat. *Mascard. de probat. Concl. 1185. n. 3.* ut hinc dubia reddatur ejusdem Mascardi sententia, quam habet *Concl. 1185. n. 3.* scilicet quod si possessor dicat, se missum fuisse in possessionem autoritate literarum judicialium, idq; probet per testes ita esse, non tamen hoc sufficere, sed debere eum probare per Instrumentum. Si enim ipsam possessionis apprehensionem per testes probari non posse statuat, ipse sibi contrarius erit. Quod si verò velit, Literas judiciales, in quibus decreta immissio, per testes probari non posse; id quidem eatenus admitti potest, ut non

com-

commodè probentur illæ literæ per testes: Quod si tamen testes essent homines periti, qui literas immisforiales satis distingvere nossent, non video, cur ipsis penitus deneganda fides, cum deponant de re sensibus percepta, ac satis intellecta.

CAPUT. III.

De

Translatione Possessionis per
Instrumentum.

SUMMARIÆ.

T ransitio, num. 1.	<i>An res absens vel presens fuisse presu-</i>
Tradito instrumento, res in eo descri-	<i>matur? remissivè. n. 14.</i>
pta tradita videtur. n. 2.	(3.) Instrumentum ipsum tradi debet.
Idem in instrum. oppignorato. numer.	n. 15.
3.	Quid si constituat donator, se donata-
Requiritur verò (1.) ut instrumentum	<i>rii nomine Instrumentum tenere vel-</i>
habeat jus & titulum tradentis.	<i>le? n. 16.</i>
n. 4.	Duæ fictiones regulariter nequeunt con-
Hoc ita, si dominium transferendum.	<i>currere. n. 17.</i>
n. 5.	(4.) Tradens instrumentum rem ipsam
Ad possessionis translationem quodlibet	<i>possidere debet. n. 18.</i>
signum sufficit. n. 6.	(5.) Si ex venditione res in alterum
Quod probatur textu, & Autoritati-	<i>transferenda, pretium debet esse so-</i>
bus. n. 7. sq.	<i>lutum, vel fides habita. n. 19.</i>
(2.) Res per instrumentum tradenda de-	Res, cujus possessio per instrumentum
bet esse in conspectu. n. 9.	<i>transferenda, etiam immobilis esse</i>
Ampliatio. n. 10.	<i>potest. n. 20.</i>
Ratio. n. 11.	Altero possidente instrumentalis posses-
Autores dissentientes allegantur. nu-	<i>sio non proficit. n. 21.</i>
mer. 12.	Ut instrumentò transeat possessio hoc
Prior sententia præfertur. n. 13.	<i>exprimi debet. n. 22.</i>

D 2

Jam

- ¹ Jam ad alteram speciem possessionis instrumentalis transeundum, quando sc. non super apprehensa naturaliter possessione instrumentum conficitur; sed ubi per instrumenti traditionem sine apprehensione rei possessio transfertur. Ubi Doctores generaliter concludere solent: Tradito instrumento, res ipsa in instrumento descripta simul tradita videtur. *arg. l. 1. C. de donat. l. Marcia 49. ff. solut. matrim. l. 44. §. 1. ff. de legat. 1. B. Dn. Brunnem. Comm. ad d. l. 1. C. de donat. n. 2. Anton. Faber. Cod. lib. 1. Tit. 3. def. 6. n. 6. Molina de 7. & 7. Tract. 2. disp. 13. n. 9. Postius de Manuten. Obs. 22. n. 1.*
- ² Mascard. *de probat. vol. 3. concl. 1191. n. 1.* unde & oppignorato instrumento res in instrumento contenta simul pignori data videtur. *l. cum constet 2. C. qua res pignor. l. Creditricem. 7. C. de remiss. pignor.* ut autem eo certius constet, quomodo per instrumentum translata sit dicenda possessio, requisita hujus translationis ordine exhibebo.
- ³ Requiritur autem Ddres. (1.) ut instrumentum illud, cujus traditione dominium & possessio transferenda, contineat jus & titulum, quod in illa re transferens habet, B. Dn. Brunnem. *ad d. l. 1. n. 5.* ubi exemplum subjicit; si quis hortum donare vellet, & traderet instrumentum emtionis confectum, cum donator eundem emeret, ita tradidisse hortum videri. Covarruv. *lib. 3. Resolut. cap. 6. n. 12.* ut hinc non sufficiat in donatione, instrumentum transtulisse; seu uno verbo: Non sufficit traditum esse instrumentum presentis contractus. Petr. Rebuff. *ad Const. Regn. Gall. Tom. 3. Tractat. de mat. possess. pref. n. 81.* sed debet tradi instrumentum acquisitionis.
- ⁴ Alexand. *ad l. 1. pr. n. 11. ff. de acquir. poss.* Puto autem hic, quadantenus interesse, an de integro jure meo vel dominio; an saltim de sola possessione transferenda quaestio sit. Certum enim omnino est, non videri me tradito instrumento transtulisse dominium, nisi eodem instrumento
- ⁵ domini mei causa contineatur. Atqui verò ad possessionem transferendam quodvis signum sufficit, de quo modo constiterit, eo animo idem traditum esse, ut simul possessio ad alterum transeat: Si enim sola conventio aliquando sufficit ad id, ut in te transferatur possessio, sicuti hoc fit in Constituto Possessorio *per l. 18. ff. de acquir. poss.* cur non & instrumenti traditio sufficiet, si tester, eo ipso me possessionem translata velle illius rei, quæ in conspectu nostro est. Pro quo confirmando ap-
- ⁶ primè facit textus *in l. prædia. 48. ff. de acquir. poss.* ubi, si quis literis declaraverit, se prædiorum donatorum possessionem transtulisse, id sufficit.
- Et

Et quamvis addatur, unum ex servis venire debuisse ad donatarium, hoc tamen nihil ad prædiorum possessionem transferendam facit, sed id saltem remedium est, quo donatarius testatur animum apprehendendi, idemque per unum servum cæteris significatur. Poterit E. & aliter hæc voluntas declarari, ut sic remedium hac lege propositum non excludat alia, sed includat potius, quoties similis ratio subest. Et idem hoc sentire videtur Rebuff. *ad Constit. Regn. Gall. d. l. n. 82.* quando dicit. *Si dem rem, 8 duntaxat tradendo tibi instrumentum continens me donasse, tunc auctoritatem apprehendendi possessionem transferre videor.* Quod intelligo, si sequens requisitum desit, si enim in conspectu rei id fiat, vera transibit possessio. Pariter & Molina *de J. & J. tract. 2. disp. 13. n. 10.* asserit; in Regno Hispaniæ etiam instrumentum illud novum, in quo donator dicit, se rem alicui tradere; ad translationem possessionis sufficere.

(II.) Ut instrumento transferatur possessio, res per instrumentum tradenda in conspectu sit necessum est: si enim extra conspectum Rei tradatur instrumentum, non ipsa possessio, sed potestas possessionem arripendi concessa videtur. Alexand. *vol. 4. consil. 10. col. 2. Bartol. in l. 2. in fin. C. de acquir. poss. Rebuff. d. l. n. 50. seq.* Quam sententiam ampliat Mascardus *de probat. vol. 3. Concl. 1191. n. 14.* ut procedat, etiam si in eodem dicatur instrumento: *Et assignavit*: nam cum hoc verbum possit intelligi non de actuali traditione, sed solum verbali, ex eo, quod quis assignare etiam nudo verbo dicatur. *l. Assignare 107. ff. de V. S.* hoc tamen non procedere, si ea, quæ assignata dicuntur, in præsentia ejus, cui assignata sunt, non existerent, sic enim possessio translata non est. Cujus decisionis ratio in eo potissimum poni solet: quia si in re præsentia tradatur instrumentum, aspectus simul, seu oculi, tanquam longa manus, concurrunt, quibus ipsis possessio acquisita censetur *per. l. 18. §. si venditorem. 2. ff. de acquir. poss. l. 79. ff. de solut.* Et in specie quoties clavibus transferenda possessio, traditio clavium in præsentia rei fieri debet *L. Clavibus 74. ff. de Contrab. Emt. Mascard. d. Concl. 1191. n. 15.*

Sed ab hac Mascardi opinione recedit Rebuff. *ad Const. Gall. d. l. 12 num. 89.* ubi dicit: præsupposita sententia priori, supervacua esse instrumenti traditionem, si res esset in præsentia, quia & sine instrumenti traditione possessio acquiri posset. Quam ipsam sententiam ante Rebuffum defendit Alexand. Tartagn. *ad l. 1. pr. ff. de acquir. poss. num. 13.* Idem hoc statuit. Zaf. *ad l. possideri 3. pr. n. 12. ff. de acquir. poss.*

D 3

& hunc

& hunc secutus Hillig. *in Donell. lib. 5. cap. 9. in fin.* scil. sufficere id agi inter partes, ut possessio transferatur; præsentiam verò rei donatæ necessariam non esse. Verùm cum semper aliquid naturalitatis requirat possessionis translatio, tutiorem existimo priorem sententiam; alioqui nec opus fuisset in traditione clavium rei præsentiam exigere, quod tamen factum *in d. l. Clavibus*. Et negari nequit, in acquirenda possessione aspectus maximam esse vim. *ob d. l. 18. §. 2. ff. de acquir. poss.* Cum ergo certa legis Decisio in Clavibus adsit, ob identitatem rationis non immeritò ad instrumenti traditionem ea extenditur. An autem in dubio præsumendum, tradito instrumento rem fuisse præsentem vel absentem, de eo vid. Mascardum *d. Concl. 1191. n. 21.*

(III.) Requiritur, ut ipsum quoque instrumentum fuerit traditum. *arg. l. 1. C. de donat. ibi: traditis*, ut hinc non sufficiat, si quis donaverit quidem instrumentum emtionis, sed non tradiderit: Conventio enim sola ad transferendum dominium aut possessionem non sufficit. *l. Traditionibus 20. C. de pact.* Sed quid si donans instrumentum venditionis, illud quidem non tradat, constituat tamen, se hoc instrumentum donatarii nomine velle possidere? Videtur quidem ita per constitutum translata possessio. *obl. 18. pr. ff. de acquir. poss.* sed contrarium placet Rebuffo. *ad Constit. Gall. Tr. de mater. poss. præfat. n. 79.* cum ita duæ fictiones concurrerent, quæ de jure regulariter simul non admittuntur. *per l. 1. C. de dot. promiss. & l. singularia. 15. ff. de Reb. Cred. & ibi Ddres.* Aliud E. foret, si instrumentum donans & non tradens constitueret, se ipsam rem cum instrumento donatarii nomine possessurum, huic enim casui regulæ Constituti magis convenient.

(IV.) Exigunt, ut is, qui tradit instrumentum venditionis, rem ipsam possideat instrumento contentam, juxta Gloss. *in d. l. 1. C. de donat.* Rebuff. *d. l. n. 80.* quod enim quis non habet, nec in alium transferre valebit: Quod autem verè transferre nequit, illud nec poterit fictè; qui enim nihil habuit, nihil in accipientem transfert. *l. traditio. 20. pr. ff. de acquir. Rer. dom. Angel. ad l. 2. ff. de acquir. poss.*

(V.) Volunt, ut si quis ex contractu venditionis rem in alium velit transferre, tradens instrumentum simul pretium pro illa re acceperit, vel etiam fidem alteri habuerit: Habet enim traditio ex vendito hanc tacitam in se conditionem; si pretium emtor solverit, quo non facto, nihil in eum censetur translatum §. *vendita. 41. I. de Rer. divis.* Habet quoque actus omnis conditionalis hanc indolem, ut conditione deficiente, nihil actum

cense-

cenſeatur; quippè, ſuſpēdit voluntatem agentis. §. *ſub conditione. 4. I. de V. O. L. Non omnis 19. ff. de Reb. Cred.* Important enim conditiones negotii formam ſubſtantialem. Caspar. Klock. *voc. Camer. 79. n. 7.* E. & in poſſeſſionis vel Domini translatione eodem effectu gaudebit traditio. Quod ſi ergo, ubi res revera traditur, poſſeſſio non tranſit, niſi pretio ſoluto vel habita fide, obtinebit idem quoq; in traditione ficta instrumenti: cum non debeat plus operari fictio quam veritas, Rebuff. *d. l. n. 78.* quam eandem ſententiam multis auctoritatibus confirmat Andr. Tiraquell. *de Conſtit. poſſeſſ. Part. 1. n. 27.*

Quamvis autem alii adhuc requirant, ut res, cujus poſſeſſio per In-²⁰strumentum transferenda, ſit mobilis vel ſe movens, & hoc quidem *arg. d. l. 1. C. de donat.* ubi de instrumentis mancipiorum donatorum agitur: at tamen hanc ſententiam rectè rejicit Rebuff. *d. l. n. 86.* cum eadem quòad translationem poſſeſſionis ſubſit ratio in re five mobili five immobili; Nec caſus in *d. l. 1. C. de don.* relatus, legem poteſt reſtringere, ſed potius ad ipſam deciſionem reſpiciendum. Ut taceam, citius rei immobilis, quam mobilis poſſeſſionem per Instrumentum transferri; quò enim difficilius eſt rei traditio naturalis ſeu vera, eò facilius admittitur ficta, ut ita fictio juris tollat difficultates naturales: Quin & plerique fictæ traditionis modi circa res immobiles præcipuè verſantur, licet & in rebus mobilibus obtineant.

Hoc certum, per traditionem instrumenti non acquiri poſſeſſionem ²¹ prædii, ſi alius jam ſit in ejus poſſeſſione. Uti enim alio poſſidente, naturaliter ego poſſeſſionem rei acquirere non poſſum; ita nec fictè: Nec enim duo ejusdem rei poſſeſſores eſſe poſſunt. *l. poſſideri. 3. §. 5. ff. de acquir. poſſ. l. duo in ſolidum. 19. ff. de precar. l. 5. §. ult. ff. commod.* qua de re in capite ſeq. pluribus dicam.

Coronidis loco id, quod primò quidem proponendum fuiſſet, ſubj-²²cio; Nunquam instrumentò transferri poſſeſſionem, niſi de hac voluntate utriusque & tradentis & acceptantis instrumentum conſtet, *arg. L. Nunquam nuda 31. ff. de acquir. rer. Dom.* Sicuti enim clavibus traditis, non ſemper poſſeſſio tranſfertur, niſi id expreſſè agatur. *l. Clavibus. ff. de Contrab. emt.* aliàs enim cuſtodix causâ ſaltim traditæ videntur. *l. 77. §. 21. ff. de legat. 2.* ita quoq; in instrumentorum traditione idem obſervari debet, ut ſc. conſtet de animo poſſeſſionem per instrumenta transferendi, quo non apparente, non cenſenda eſt poſſeſſio translata; quippè cum facti ſit translatio poſſeſſionis. Et ita reſponſum eſſe ab *Ampliſſima Facultate Ju-*

riau.

ridica hujus Academ. d. 16. Maij. Anno 1672. relatum mihi ab Excellentiss. Dn. Præsid. his verbis: Ob gleich N. N. die *documenta* von solchen Huffen in händen hat/ darauß die *translatio possessionis* sonst abgenommen wird/ so kan er doch nicht erweisen/ daß ihme *hoc nomine* die *instrumenta* übergeben/ massen *de animo transferendi possessionem per instrumenta* vorher Gewißheit seyn muß/ und attestiret das *instrumentum Notarii* ein mehres nicht/ als daß N. N. die *instrumenta* bey sich habe/ nicht aber *quo jure & ex qua causa.* &c.

CAPUT IV.

De

Possessionis Instrumentalis Effectu & Conservatione.

SUMMARI A.

<p>Connexio. n. 1. Instrumentalis possessor Naturalis & Civilem habet possessionem. n. 2. Modo possessio fuerit vacans. numer. 3. Alia limitatio ex Mascardo. n. 4. Que rejicitur. n. 5. Que n. 3. dicta, limitantur. n. 6. Possessio Instrum. alteri non præjudicat, habenti Mandatum Manutentis. n. 7. Casus formatur. n. 8. Ratio dubitandi. n. 9. Rationes decidendi. n. 10. Possessor antiquior manutenendus, licet solo instrumento possessionem probaverit. n. 11.</p>	<p><i>Alio possessionem invadente, quomodo Instrumentali possessori succurrendum? n. 12.</i> <i>An qui animo possessionem retinuit, contra resistantem habeat Interdictum Retinende possess. n. 13.</i> <i>Affirmatur certo modo. n. 14.</i> <i>Turbationes non præjudicare civili possessori, qui se non habet pro spoliatio. n. 15.</i> <i>Cui asserto obstat Ratio. n. 16.</i> <i>Possessio instrumentalis prior, præfertur reali posteriori. n. 17.</i> <i>Casus; si duobus res vendita, & uni prius instrumentum traditum, quis potior sit altero, proponitur, numer. 8.</i></p>
--	---

Decidi

<i>Deciditur pro instrumentali possessore.</i> n. 19.	<i>Si eadem die confectum Instrumentum,</i> <i>prioritas horarum inspicitur. n. 25.</i>
<i>Comparatur hic cum illo, qui constitu-</i> <i>to possessorio gaudet, n. 20.</i>	<i>Quid si hora omissa? n. 26.</i>
<i>An constitutarii possessio exspiret, si al-</i> <i>ter realem possessionem consecutus?</i> n. 21 seq.	<i>Instrumentalis possessio an sufficiat ad</i> <i>usucapionem? n. 27. seq.</i>
<i>Ampliatio Regula: possessionem In-</i> <i>strumentalem præferri Reali. numer.</i> 23.	<i>Possessori Instrumentali dantur reme-</i> <i>dia recuper. poss. n. 30. seq.</i>
<i>Si plures possessores Instrumentales</i> <i>concurrant, prior potior erit. nu-</i> <i>mer. 24.</i>	<i>Decisio Mevii: possessionem Instrum.</i> <i>non proficere in feudum successuro,</i> <i>explicatur. n. 32.</i>
	<i>Possessio instrumentalis non excusat à</i> <i>vitio attentatorum; quatenus hoc ve-</i> <i>rum. n. 33.</i>

Distinctè hætenus actum de utraq; Possessionis Instrumentalis spe-
cie quatenus sc. possessio naturaliter apprehensa, instrumentò
probatur; & quatenus citra apprehensionem, per ipsum instru-
mentum transfertur possessio rei: jam de utriusque effectu agam promi-
scuè; ne alioqui contra monitum Imp. in *pr. I. quod cum eo qui in al. pot.*
verbosa fiat Disputatio; ubi tamen inter utramque speciem diversitatis
ratio se obtulerit, diversitatem juris decisionem non omittam.

Cæterum ex his, quæ superius dicta, haud obscure apparet, præci-
puum Instrumentalis Possess. effectum esse, quod possessio vera tam natu-
ralis, quam civilis per instrumentum transferatur. *vid. supr, cap. 2. n. 24.*
quod tamen ita temperandum, sicuti in fine *præc. cap.* dictum, modò va-
cua ab alio possessore fuerit res occupanda. Quod enim ibi dixi neces-
sarium esse, si instrumentò transferenda possessio, idem quoque necessa-
rium, si super apprehensione possessionis instrumentum conficiendum.
Non E. probatur per instrumentum possessionis adeptio, si alius jam exi-
stat in possessione; quia facilè fraudi daretur locus, per mendosum instru-
mentum clandestinæ possessionis traditæ, ex quo oriretur maximū possi-
dentis præjudicium. Mascard. *de probat. Conclus. 1191. n. 32.* Indè, quod
dicitur in *l. 3. §. 1. ff. de Acquir. poss.* illum, qui partem fundi ingressus, si hoc
intendat, totum fundum ad ultimum usque terminum possidere; expli-
candum ita, ut procedat; in quantum est vacuus. Struv. *S. 7. C. Ex. 42.*
§. 16. Conf. Dn. Præsid. Tract. de jur. sens. Disp. 7. c. 2. n. 9. Lubet quidem
Mascardo *cit. loc.* limitationem suppeditare; nisi possessionem acquisitu-
rus

rus alterum possessione ejecerit, & postea pro se instrumentum super apprehensione confici curaverit. Sed ita violenta erit hæc possessio Instrumentalis, quæ cum vitiosa sit, exiguam habebit utilitatem, cum Interdicto *Unde Vi* facile me iterum expellere possit antiquior possessor. Procedunt autem dicta, si quis solitariam sibi vindicet possessionem; secus, si compossessionem saltim: ita enim alter non expellendus; nec opus, ut prædium plenè sit vacuum, sed sufficit, quòd alteri jus composidendi competat, hic quoq; illam compossessionem, altero non resistente, apprehendat, de qua materia *vid. Diss. de Compossessione itidem sub Excellentiss. Dn. Præsid. ante annum habita.*

7 Ex quo sequitur, quòd possessio Instrumentalis alteri non præjudicet, quando alter consecutus fuit mandatum de manutenendo. *Statil. Pacific. Tract. de Salvian. Interdict. dec. 15. n. 5.* quod intelligo, si hoc mandatum de manutenendo alterius possessionem Instrumentalem præcesserit: ita enim ab altero occupari justè possessio non potuit, quod ut ulterius discutiam, ita casum formare lubet. Unus ex Agnatis Titius, cedente Vasallo, fundoque vacante possessionem ejus apprehendit, & confecto de super instrumento discescit iterum; post aliquot dies alius Agnatus Mevius, pariter successionem feudi sibi vindicans, venit, & ignarus fortè, possessionem à Titio prius occupatam esse, feudum ingreditur, animò illud possidendi, & quò securus in possessione existat, mandatum de manutenendo à judice impetrat. Hoc verò comperto, Titius contra illud Mandatum protestatur, & se in priori sua possessione instrumentali defendi petit, quæritur quid juris? Videtur quidem pro Mevio pronunciandum, utpotè, qui actu corporali possidet, & simul Decretum Manutenentiæ pro se habet. Verùm quia (1.) possessio Instrumentalis pro vera ac justa reputanda *vid. supr. cap. 2. n. 26.* (2.) mandatum de manutenendo ex errore, parte adversa non citatâ, datum erat; putabat enim judex, vacuum omninò feudi fuisse possessionem; & hinc (3.) non impedit mandatum Manutenentiæ, quò minus possessionem anteriorem habens jus suum prosequi possit, & suam possessionem tueri. *Ludovic. Post. de Manuten. Obs. 71. n. 7. Mantica dec. 77. in fin.* Insuper (4.) posterior possessio tanquam turbativa, non privat aliquem sua possessione antiquiori, cum semper pro hac præsumatur. *arg. cap. 9. x. de probat. Postius d. l. n. 6.* & (5.) possessio etiam civilis anterior præfertur in manutenzione illi, qui habet naturalem posteriorem *Post. d. l. n. 8.* Exinde evidenter satis patet, nil prodesse contra instrumentalem priorem Decretum Manutenentiæ

mentia ex postfacto apprehendenti possessionem datum. Ex quo simul manifestum evadit, Statilii Pacifici opinionem ante adductam ita fuisse temperandam. Undè benè concludit Johan. Vincent. Honded. *vol. 2. Con- 11*
fil. 86. n. 30. possessorem antiquiorem manuteneri debere in sua possessione, quamvis solo duntaxat instrumento illam probaverit. Add. Menoch. *Retinend. poss. remed. 3. n. 725.*

Hic verò jam dubium hoc resolvendum, quo pacto instrumentalis 12
 possessor manuteneri possit, alius possessionem apprehenderit, cum certum sit, eum, qui animò retinuit possessionem, si postea revertatur, & alter eum non admittat, mox de juri possessione *l. Clam. possidere. 6. in fin. ff. de acquir. possess.* quamvis E. dejectus interdum pro possessore habeatur. *l. si quis. 17. pr. ff. d. t. hoc tamen non ulterius, nisi quò ad possessionis recuperationem procedit B. Dn. Brunneman. in Comm. ff. ad d. l. 17.* Undè 13
 civilem possessionem retinentem, contra illum, qui corporaliter rem detinendo Civili possessori resistit, retinendæ possessionis remedium non habere, statuit Donell. *in Comment. Cod. ad l. un. n. 12. uti possidet. Zæf. ad ff. a eod. tit. n. 7.* Contrarium tamen defendit Menoch. *d. Remed. 3. n. 35.* Ut 14
 hinc & in præsentì casu, si ante actualem detentoris resistantiam, Instrumentalis possessor mox judicem adierit, & se in possessione sua prius occupata manuteneri petat, hic pro dejecto nondum habendus, & ita nec remedia retinendæ possessionis ipsi deneganda, quam Menochii sententiam pluribus deducit Excellentiss. Dn. Præses *de jur. sens. disp. 10. cap. 4. n. 54. seqq.* Ex quibus simul de sententia Postii judicare licebit, quam habet *Tr. de Manut. Obs. 71. n. 8.* ubi dicit: Molestationes & turbationes contra 15
 animò possidentem, qui non habuit se pro spoliato, non esse attendendas, nec illi præjudicare, quin sit habendus pro possessore; Multum enim 16
 in possessione Instrumentali aliave animo retenta facit ad ejus conservationem, ne quis suspicetur, restitutum sibi alterum, qui corpore ingressus possessionem: hoc enim si fiat, mox animò possidere desinet. *l. 25. §. fin. de Acquir. poss.*

Apparet autem ex superioribus abundè, tantæ efficaciz esse posses- 17
 sionem instrumentalem, ut & contra possessionem corporalem postea subsequenter illa manutentionem mereatur; undè certa sequetur conclusio, possessionem instrumentalem potiore esse reali posteriori. Carpz. *p. 2. Const. 33. d. 15. n. 4.* quod non saltim verum esse puto in priori specie possessionis Instrumentalis, sed & in posteriori, five illa de qua in *cap. 3. actum.* Ut verò clarius idem appareat, per sq. casum id expediendum: 18

Vendidit Javolenus Titio & Mevio suas ædes, inter hos autem potio-
 esse illum, in quem prior translata possessio, expeditum est, per *l. quoties.*
15. C. de R. Vind. Itaque Titio quidem prius instrumentum venditionis
 tradidit Javolenus, & juxta *l. 1. C. de donat.* possessionem ædium in eum
 transtulit; sed postea Mevio actualem possessionem tradit, qui & corpore
 19 ædes occupat; quæritur, quis potior? Et Resp. Titius, quippe qui priorem
 possessionem instrumentalem nactus; cum enim in hunc per traditionem
 instrumenti ex legis dispositione transeat possessio, effectus quoque pos-
 sessionis ipsi non denegandi; sicuti hunc casum in terminis decidit Hart-
 20 man. Pistor. *Obs. 31. ubi n. 6.* benè subjicit, eandem hoc casu esse rationē Con-
 stituti Possessorii, & traditionis Instrumenti, nam & tradito instrumento,
 quò possessionem translata volo, tacitè ad minimum constituo me alte-
 rius nomine possidere velle; constitutarius verò in præfato casu sine du-
 bio præfertur illi, qui realem nactus possessionem, de quo vid. Tiraquell.
de Constit. Possess. in pr. n. 21. ubi pluribus autoritatibus hanc prioritatem
 21 constitutarii confirmat. Limitat quidem Tiraquell. *d. l. n. 28.* sententiam
 suam, ut prioritas quoad dominium procedat, non quoad possessionem;
 eo ipso enim, quo constituens post constitutum in alterum realem posses-
 sionem transfert, constitutarium sua possessione esse privatum, per *l. pere-*
 22 *gre. 44. §. 2. ff. de Acquir. poss. L. Colonus. 12. ff. quod Vi aut clam.* Verùm hæc
 opinio temperamentò indiget, quod ex supra dictis hoc cap. petendum,
 scil. si constitutarius vel instrumentalis possessor, postquam alter realem
 possessionem consecutus, suspicetur hunc sibi restitutum, sic enim habebi-
 tur pro dejecto. vid. Schrader *de feud. p. 5. cap. 4. n. 24.* Sola verò voluntas
 venditoris in alium possessionem transferentis, ubi jam alteri prius in-
 strumentò possessionem cesserat, non sufficit, sicuti nec occupatio alteri-
 us, nisi accedente resistantia, *arg. l. Clam. possidere. 6. in fin. ff. de acquir. poss.*
 23 Quæ autem hæcenus dicta de prælatione possessionis instrumentalis
 præ possessore reali, idem multò magis obtinebit in possessione posteriori
 ex ficta traditione quæ sita; quod enim veritas non efficit, illud nec fictio.
 24 Tiraquell. *p. 1. n. 27.* Unde sequitur, pluribus possessoribus Instrumenta-
 libus concurrentibus, semper potio-rem esse priorem, quæ prioritas ad ef-
 fectum Manutenentiæ consequendum, non adeò magnum spatium exi-
 git, sed sufficit, si per unam tantummodo horam, imò per brevissimum tem-
 poris spatium, per momentum & punctum altera possessio præcesserit.
 25 Post. *de Manut. Obs. 71. n. 9.* Franciscus Vivius. *lib. 3. dec. 411. n. 31.* Sed quid
 si eadem die confectum instrumentū super apprehensa possessione, quis
 tunc

tunc potior? Posset videri neutra admittenda, cum hic non deficiat jus, sed probatio, per *l. Duo sunt Titii. 30. ff. de testam. tut.* quod & de duobus testamentis eadem die confectis asserere solent. Existimat tamen Postius *d. l. n. 10.* si in uno instrumento hora expressa esset, in altero non, anteriorem præsumi illam, quæ habet horam; magis enim specificæ, qui tempus & horam appositam habet, probare poterit, ut hinc pro eo præsumendum.

Sed quid si & hora omissa, seu conjectura prioritatis nulla adfit? ²⁶ Diversæ hic occurrunt Dd. opiniones, quid tali casu faciendum iudici, quas ordine recensitas vide apud Menoch. *Remed. 3. Retin. poss. n. 739. & seqq.* Sanè neutri proficere debere possessionem, durum est; utrique verò minus securum, cum per compossessionem ad arma deveniatur sapius. Sors fortè optimum hoc casu remedium, cum aliter negotium sopiri nequeat; *arg. §. 23. l. de Legat.* sed hoc remedium saltem inter consentientes obtinebit. vid. Tiraquell. *de jur. primogen. qu. 7. opin. 1. num. 94.* Quod si verò hæc displicuerit, vel præscribendus à iudice composcendi modus, qui conservandæ tranquillitati convenientissimus visus fuerit, per tradita Mevii *p. 5. Dec. 233.* vel tandem sequestratio admittenda. Coler. *de proc. Execut. p. 2. cap. 2. n. 111.* Gail. *lib. 1. O. 5. n. 2.*

Cæterum, Possessio hæc Instrumentalis non solum proficit ad manu- ²⁷ tentionem, sed & alios quoscunque effectus possessionis producit. Post. *d. tract. Obs. 21. n. 26.* Unde jam quæritur, an talis possessio sufficiat ad usucapionem? ubi certum alioqui est, neminem sine possessione usucapere posse *l. 1. §. 15. ff. de acquir. poss.* Atqui possidet & Instrumentalis possessor; habet in super titulum, bonam fidem; nec cætera usucapionis requisita desunt, adeoque nec facultas usucapiendi ipsi deneganda. Dubitat de hac opinione Tiraquellus *de Const. Poss. p. 1. n. 18.* ubi dicit, hujus ²⁸ modi civilem possessionem non sufficere ad præscriptionem, quamvis ipse, Autoribus pro utraque parte allegatis, in neutram ferè inclinet: pu- ²⁹ to tamen omninò priorem sententiam præferendam esse, cum in *cap. 2. & 3.* sufficienter demonstratum, possessionem Instrumentalem veram esse, veræque possessionis effectus producere. Modò tamen hæc possessio Instrumentalis per apprehensionem realem alterius, & subsequenter resistentiæ non fuerit interrupta, Dejecto enim priori, possessio ad usucapiendum non proficit. *L. Naturaliter. 5. ff. de usucap.*

30 De eo quoque non conveniunt, an possessori Instrumentali dejecto remedia recuperandæ possessionis competant? In genere etiã de possessione ficta id negant, quòd pariat effectum recuperandæ possessionis Alexand. & Jason. in *l. si Soror. C. de jur. deliber.* quos & alios pro hac sententia allegat Rebuff. *ad Const. Gall. T. 3. Tr. de mat. poss. in praf. n. 39.* Verum non video fundamentum: Certum enim est, nos versari hic in tali fictione, quæ in jure suum habet fundamentum; de hac verò expedita Dd. regula est, quòd fictio in casu ficto idem operetur, quod veritas in casu vero *arg. l. 14. C. locat. Cardin. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 2. tit. 13. n. 10. Pruckman. vol. 1. conf. 38. n. 104.* Cur E. non & ficta possessionis translatio per instrumentum facta, cum ita non saltim possessio, sed & dominium transferatur. Ddres in *l. 1. C. de donat.* Sicuti E. de interdicto *Unde Vi*, quod recuperandæ possessionis est, disponunt jura, quòd, si ve animò quis possederit si ve corpore, & dejectus sit, illò interdictò agere possit. *per l. 1. §. 24. ff. de Vi & Vi arm.* cur denegari idem deberet Instrumentali possessorii; nam & hic corpore rem occupavit, postea animò possessionem retinens discessit; dum E. huic revertenti resistitur, simul dejectur, atque ita *Unde Vi* experiri poterit, qui idem ferè casus in *d. l. 1. §. 24.* proponitur. Unde Rebuff. *d. l. n. 41.* se vidisse in praxi hanc observari sententiam, testatur, quòd possessio per actus Civiles quæsita, pariter ac vera defendatur.

32 Circa effectum Possessionis Instrument. adhuc inquirendum, quid sibi velit opinio Mevii, quam habet *p. 6. dec. 174.* ubi statuit, possessionem Instrumentalem non proficere in feudum successuro. Hoc verò si ita est, nimium quantum effectus nostræ possessionis enervabitur. Verùm ex nigro satis apparet, quomodo Rubrum à Dn. Mevio positum sit intelligendum. Concurrebant enim duo, jus in feudum prætendentes, ubi unus realiter feudum possidebat, alter verò possessionem antiquiorem ex eo capite prætendebat, quod sibi in Diplomate Regio, quo ipso feudum in casum aperturæ concessum erat, possessio simul tradita vel cessa esset. Ex hoc verò casu facilè apparet, nullam speciem Instrumentalis possessionis, quâ nobis in hac disputatione capitur, huc trahi posse; Nec enim vel feudum realiter apprehensum & instrumentum desuper confectum; nec instrumentum, titulum feudi continens, in ejus conspectu traditum; imò nec tradi potuit, cum tempore concessi Diplomatis possessio nondum fuerit vacans, quod tamè necessarium esse, superiori capite probavimus. Quid E. consecutus est Diplomate Regio Expectivatus? Resp. non

non possessionem, sed facultatem occupandi possessionem, facultas verò hæc non efficit, ut in possessorio obtinere possit contra illum, qui realiter feudum detinet. E. hæc sententia Dn. Mevii est. Extra hos terminos verò omninò & in feudo effectum suo gaudebit Instrumentalis possessio, modò debitis suis requisitis fuerit instructa, imò nullibi ferè magis, quam in feudis adhiberi solet.

Ultimo loco nec hoc dimittendum est, quòd habet Mantica *dec. 174. 34 n. 2.* scil. quod possessio instrumentalis non fit vera, sed ficta possessio, & hinc non excuset à vitio attentatorum. Non enim aliter hoc intelligi poterit, quàm si instrumentalem possessionem quis apprehenderit vel contra Decretum iudicis; vel alio jam in possessione constituto; Extra hos casus enim nihil vitii habet hæc nostra possessio, sed uti superiù aliquoties monui, veræ possessionis effectum gaudet.

CAPUT V.
DE
Possessionis Instrumentalis
Amisione.

SUMMARI A.

<p>Connexio. n. 1. Possessio Instrum. solò animò amittitur. n. 2. Respondetur ad textus obstantes. n. 3. Amisio instrumento, an intercidat Instrumentalis possessio? n. 4. Negatur de utraque specie. num. 5. seqq. Modò testibus ea probari possit. n. 8. Dubium aliquod resolvitur. n. 9. Quid si nec testes adsint? n. 10. Instrumenti incisione perditur instrumentalis possessio. n. 11.</p>	<p>Sensus Glossæ in l. 58. ff. de pact. n. 12. Instrument. possessio amittitur per violentam dejectionem. n. 13. seqq. Metuens se repulsum iri à possessore, possessionem amittit. n. 15. Instrumentò vi ablato, an ablata sit possessio? n. 16. Qui negat alterum possidere, præsertim in iudicio, turbat. n. 17. Nisi auferens simul rem occupaverit, n. 19. Quanto tempore possessioni instrumentali præscribatur? n. 20. seqq.</p>
--	--

Jus

Jus nostrum aut in acquirendo consistere, aut in conservando, aut in minuendo, ait Jctus in *l. f. ff. de LL.* vel enim id agitur, quemadmodum quid cujusque fiat, aut quomodo quisque jus suum conservet, aut deniq; quomodo illud iterum amittat. Posteaquam E. *cap. 2. & 3.* Possessionis Instrumentalis naturam, constitutionem & diversitatem consideravi; Effectibus item & conservatione Possessionis Instrum. pro virili in *cap. 4.* explicatis, rectè nunc ad caput ult. accedo, in eo coronidis quasi loco modos admittendi possessionem Instrum. per compendium delibaturus. Constat verò, amitti possessionem in genere, si vel nolimus, vel etiam, si nequeamus possidere amplius, utut maximè vellemus. *arg. l. 3. §. 9. ff. de acquir. poss. vid. Hillig. in Donell. lib. 5. cap. 12.* parili modo in instrumentali possessione res habet. Et quidem solò animò instrumentalis possessio amitti poterit, si quis eundem sufficienter declaraverit. *arg. d. l. 3. §. 6. in fin. ff. d. t. & licet Paulus Jctus in l. 8. ff. eodem. §. l. 153 ff. de R. I. animi & corporis actum in amissione possessionis conjunctim requiratur, attamen, cum hic corpore non sim in possessione, eo ipso, dum animum non possidendi testor, simul integrà possessione excido; quod ibi eo magis obtinet, ubi instrumentò transfertur possessio, quæ enim solo animò acquiritur, solo animò iterum amittitur Anton. Faber. *Cod. Sabaud. lib. 7. tit. 7. d. 29. n. 3.* Quæ aliàs ad conciliationem allegatorum textuum produci solent, vide apud Dn. Præsid. *Tr. de jur. Sens. Diss. 10. c. 4. num. 59.**

4 Quæritur verò, an amisso Instrumento etiam instrumentalis possessio extingvatur? Hoc affirmandum videbatur, cum mediante instrumento rei ipsius possessionem continuem, hinc eo amisso, amissa quoq; erit possessio. Sed negativa verior est, quamcunque instrumentalis possessionis speciem præsupposueris. Si enim illam, quæ fundamentum habet in *l. 1. C. de donat. de qua cap. 3.* actum negari nequit, instrumentum saltim signum esse, quò transferatur possessio; signo verò sublato non mox tolli signatum, Philosophorum schola docet. Facit etiam huc argumentum, ab aliis obligationibus in scripturam redactis, desumptum: Instrumentò enim amisso non intercidit obligatio, si modò aliter probari possit. *l. 1. C. de fid. iustrum.* Cur. E. possessione privandus alter, si constaret instrumenta in conspectu rei hoc nomine ipsi esse tradita. Imò in illo, qui quid amittit, nullus est animus derelinquendæ rei. *§. fin. I. de Rer. div.* Quomodo E. instrumento amisso colligetur animus deferendi possessionem,

Alte-

Altero casu, si super apprehensa possessione instrumentum confectum, certum est, hoc saltem probationis gratiâ factum esse. At verò, si amissò instrumentò testes, qui tempore possessionis apprehensæ præsentés fuere, adsint, non deerit probatio, præsertim cum & *cap. 2. in fin. dixerim*, testes solos etiam sine instrumento sufficere. Et quamvis tandem supponam, instrumentū in hoc genere possessionis esse de necessitate absoluta: alia tamen ratio est possessionis acquirendæ & acquisitæ, sicuti contracto constituendi & constituti; Quamvis enim scriptura ad essentiam certi contractus requiratur, postquam tamen hic semel in esse deductus, non tollitur amisso instrumento, si modo testes adsint, qui sciant, quæ ad essentiam instrumenti requirantur. B. Brunnem. *ad l. 1. C. de fid. Instr.* ubi plures in hanc sententiam citat. Sed quid si nec testes adsint? Ita tandem non tam amissam possessionem, quàm possessionis probationem dicendum est; non enim hic jus deficit, sed probatio, *arg. l. Duo sunt Titii. 30. ff. de Testam. tutel.*

Alia ratio est, si instrumentum apprehensæ possessionis laceretur vel incidatur: eo ipso enim declarat animū suum possessor instrumentalis, se nolle amplius illam rem possidere, & hinc possessionem procul dubio amittit. Et huc spectat Conclusio Ddrum, quando dicunt: Sicuti per traditionem instrumenti videtur translata possessio, ita per incisionem illius instrumenti, factam de voluntate donantis, videtur rursus possessio translata in primum dantem, juxta Gloss. *in l. ab emtione. 58. ff. de pact.* quam Glossam singularem vocat Rebuffus *ad Constit. Gall. tom. 3. tr. de mater. poss. in pref. num. 90.* Mascard. *de probat. Conclus. 1191. num. 8.* quanquam putem, non solum donantis, sed & donatarii voluntatem hic concurrere debere, ut hinc sensus Glossæ sit: si donatarius incidat instrumentum consensu donantis, ad hunc revertitur possessio; ut hinc donantis consensus non tam requiratur, ut donatarius possessionem amittat, sed ut donans hac ratione recuperet.

Alter modus principalis amittendi possessionem fit contra nostram voluntatem, si quis vi nos possessione expellat *d. l. 3. §. 9. ff. de acquir. poss.* ubi tamen quòad instrumentalis possessionis amissionem non sufficit, prædium ab alio occupatum esse, sic enim instrumentalis possessor nondum dejectus est, quippè, qui animò possidet. *l. 6. in fin. ff. eo'* sed requiritur, ut realiter huic ab occupante resistatur. *d. l. 6. in fin.* antea enim adhuc retinendæ possessionis remedia ipsi competere, dictum est capite superiori. Præstat verò hic esse audacem juris sui defensorem, cum no-

- 15 ceat hic in specie timiditas. Qui enim ædes suas ab alio occupatas sciens, timore conterritus, ad eas accedere nolit, amisisse possessionem censetur. *l. 3. §. 8. ff. d. t. seu uti in l. 7. ff. eod.* Idem J. C. tus loquitur: si quis nolit in fundum reverti, quòd vim majorem vereatur, amisisse possessionem videbitur.
- 16 Quid si verò violenter mihi auferat instrumentum captæ possessionis alter, an etiam eo ipso simul possessio rei mihi ablata? Si hoc animo id faciat, ut mihi simul possessionem auferat, pro turbatore possessionis sine dubio quidem haberi potest; turbatur enim possessio vel eo solo,
- 17 quòd quis neget alterum possidere, præsertim si id in judicio dicat *l. is qui se obtulit. 25. ff. de R. Vind.* Menoch. *Rem. 3. Retin. poss. n. 197. & 246.* Dn. Brunnem. *in Repet. paratitl. Wes. tit. uti possid. qu. 19.* E & si instrumentum hoc animo auferatur, possessio turbabitur. An tamen ita penitus auferatur, hoc dubium. Occurrit hac de re *text. in l. si de possessione. 20. C. de probat.* ubi de instrumentis furtò subtractis agitur, ex quod dres colligunt; quod semper contra eum præsumatur, qui instrumenta furripit, quod causam malam habeat. Dn. Brunnem. *ad d. l. 20.* sed inde plena decisio nostræ quæstionis capi nequit. Dico itaque: Etiam ablato instrumento salvã manere possessionem, si modo auferens non simul
- 19 realiter rem occupaverit. Probat enim jura fictam possessionis translationem per instrumenta; sed ut ficto modo per ablationem instrumenti iterum auferatur, hoc nusquam probent. Favendum E. magis est possessori, & pro illo, qui abstulit instrumenta, non præsumendum, *arg. d. l. 20. C. de probat.* quod sc. ille possessionem fuerit consecutus.
- 20 Plura adhuc cumulari possunt circa possessionis hujus amissionem, sed cum omnia illa cum amissione possessionis in communi conveniant, non opus æstimo prolixius his inhærere. Potius ad finem properandum, si unicum hoc thema coronidis loco subjecero, quanto tempore possessioni instrumentali præscribatur, seu quot annis instrumentalis possessor
- 21 patiendo alterũ realiter rem detinere, possessionem amittat? Ubi quidem omninò distingvendum, an is rem detineat, à quo instrumentale possessionem habeo, an tertius. Illo rem detinente, nulla instrumentali possessori obstat præscriptio: non enim ille possidet, sed meo nomine est in possessione *arg. l. quod meo 18. pr. ff. de acquir. poss.* Undè instrumentali possessori nulla negligentia imputari potest, quòd citius rem non occupaverit, cum ipse interim possederit per alium, qui ejus nomine est in
- 22 possessione *per l. generaliter. 9. ff. d. t. §. 5. l. de interd.* Ex qua causa in simili

concludunt Ddres, quod Constituti possessorii præscriptio non currat contra constitutarium, quamdiu constituens possidet. *arg. l. 2. C. de præscr. 30. annor.* Tiraquell. *de const. Possess. p. 1. n. 71.* Bald. *lib. 5. Consil. 369. in fin.* Hinc²³ nec instrumentali possessori in his terminis obstabit præscriptio. Quod si verò tertius corporalem nactus possessionem fuerit, constituto possessorio decennio præscribi, si interim Constitutarius realem possessionem non apprehenderit, communiter statuunt. Tiraquell. *21. de constit. Poss. p. 3. limit. 3. n. 1.* Faber. *lib. 7. tit. 7. def. 10.* Mev. *p. 5. dec. 160. n. 10.* Undè idem hoc in Instrumentali possessori videtur obtinere. Sed amitto hoc in illa instru-²⁴ ment. possessionis specie, quæ *cap. 3.* exhibetur, ut facilius excludatur possessor, qui corpore nunquam rem apprehendit: Secus verò in illa specie, ubi quis corporaliter possessionem occupavit, & confecto postea instrumento naturalem possessionem iterum dimisit; quò ad hunc enim iniquum esset, si decennio, non accedente reali resistantia, jure suo privari deberet. Quicquid verò tandem fit, patebit ad minimum contra turbatorem possessionis instrumentalis recuperandæ possessionis remedium *juxta l. fin. C. de acquir. poss.* & hoc quidem ex communi Dd. sententia usque ad 30. annos. Marta Neapolitan. *Digest. Noviss. Tom. 9. Tit. Constitu-*²⁵ *tum. cap. 7.* Menoch. *Rem. Recuper. 14. n. 68.* Thesaur. *Decis. 105. n. 6.* Sicuti in similibus terminis responsum ab amplissima Facult. Jurid. hujus Acad. *d. 25. Novemb. anno 1672.* prout ex communicatione Excellentiss. Dn. Præfidis cognoscere licuit.


His omnibus immorari diutius propositi non finit ratio. Contrahenda potius vela, ubi portum ex intentione nostra sumus ingresfi. Plura de hac utili materia restare lubens fateor; suffectura tamen hæc exercitii Academiciloco, certus sum. Tu, Lector Ingenue, omnia ingenue interpretaberis, & lapsus, quos monitus ipse corrigam, benigne condonabis. Tibi vero, O DEUS Optime Maxime!

SIT GLORIA IN ÆTERNUM.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





ULB Halle

3


002 061 287




sb

KD17







URIDICA

Atto.
P. 27. num. 12.

SIONE NTALI,

1675, 146

24

DE

ine annuentibus,

E

RYKIO, J.U.D.

Antecess.

omotore observantis-

lo,

proponit

NO M. DC. LXXV.

SELLE,

fis.

s.

DCC.

IADRUM,

s Seel. Erben/

Hartmann.

VIII.



15

